Universidad de Deusto
Biblioteca

Dunessius de causis [illegible]
obscuritatis et de [illegible]

cum inceſt
quid in ſi.
pliciter pe
tur tam in
perpetuu
l.quod pr
ſbi.C.de i
nibus ſi in
cit.l.mino
tantum fu
i altera no
hic:alias v
ſimplicite
verbo.ſig.
nes.ff.de e
in titulo de
mo:z hic p
vetat nõ.
c
l
ſ
li
lo
ta

Librería Dublí
LIBROS ANTIGUOS
Balers, 10-BARCELONA-2 (España)
Biblioteca Universitaria de Deusto

ꝰ ſup.ne/
:r.in reo i
beat abſol
z in.l.qui
.bſoluitur
pbauit de
ſt gl. ſing.
di. ¶ In
t tempore
z tunc re
nō poſſit
di. z in.l.
par.in.l.i.

ta primo
ita per re
ntuitu di
n.and.hic

pcum qu
riptio z
nita di
ngiſſim
non ha

Librería Pubill
LIBROS ANTIGUOS
Boters, 10-BARCELONA-2 (España)
Biblioteca Universitat de Barcelona

Universidad de Deusto
Biblioteca

PETRI IOANNIS NVNNESII VALENTINI INSTITVtionum Physicarum quatuor libri priores collecti methodicãs ex decretis Aristotelis.

Præposita est huic libello ratio methodi quã autor secutus est in eo conficiẽdo. Cui accesserũt duo indices, in quorũ priori uocabula uulgo incognita ex altera parte respõdent ijs quibus Philosophorum uulgus utitur: in posteriori uerò aliquot uocabula Græca huius artis explicantur.

Anacephalæosis huius libri separatim excussa est.

In Silentio & spe.

VALENTIAE.
Excudebat Ioannes Mey Flander.
1554.

Universidad de Deusto
Biblioteca

MICHAELI IOANNI PASCHALIO DOCTORI

Medicinæ peritißimo Petrus Ioannes Nunnesius Valentinus S. P. D.

ANNO superiore antequàm Logicam Aristotelis interpretarer, Doctor peritißime, legi meis auditoribus libellum quem ipse edideram de constitutione artis Dialecticæ, ne ad Aristotelis Logicam discendam, quæ multorum studia antè sua difficultate restinxerat, imparati accederet: Nunc uerò prius quàm ad Physiologiam eiusdem explicandam aggrediar, illud animo occurrit, tantò diligentiorem præparationem in ea legenda adhiberi oportere, quantò disserēdi arte est præstabilior. Itaq; de epitome Physiologiæ legenda primùm cogitaui, ut qui tot tantisq; ornamentis Dialecticam affecissem, si non maioribus, at certè paribus Philosophiam, cuius illa comes atq; ministra esset, augerē. Ac tum quidem ista mihi cogitāti nemo occurrit ex tam multis huius argumenti scriptoribus in cuius libris libenter acquiescerem. Nam cùm omnibus propositū esset ea omnia, quæ ab Aristotele tradita sunt, facili & breui methodo complecti, tātum ab eo omnes declinarunt, ut nullus in proposito susceptoq; consilio permansisse uideatur. Quidam enim, & ij quidem non admodum indocti, Academicorum doctrinam cum Aristoteleis sententijs coniunxerunt: quidam autem Latinorum commenta & Arabum impios errores Aristoteli addiderunt. Sunt etiam qui aliud genus scribendi ab Aristotelis sententia multùm abhorrens tenuerunt. Con-

tra quos omnes breuiter disputarem, si nõ aliò mea ora-
tio spectaret. Scripsi igitur has institutiones more Plato-
nico (qui tuo Galeno mitio Artis paruæ ad artes memo-
ria comprehendendas ualdè probatur) sed ita, ut uerba
Aristotelis ex tralatione Perionij & sententias perpetuò
retinuerim, & exempla ex eodem Aristotele, aut certè ex
doctissimis eius interpretibus posuerim. locos quidem insi-
gniores tantùm disputationum Aristotelearum è regione
notaui: nam omnes persequi prolixum fuisset, parumq; lo-
ci meis auditoribus ad dictata excipienda relictum fuisset.
In extrema uerò parte libri, ne quis uocabulorũ nouitate
offenderetur, duos indices descripsi: in quorum altero uo-
cabula quibus uulgus Philosophorum utitur nostris ex al-
tera parte respondet, in altero uoces aliquot Græcæ, quib-
bus nos in hac arte explicanda aut alij usi sunt, Latina
oratione exprimuntur. Tabulam etiam separatim excudẽ
dam curaui, ut affixa parieti memoriam totius libelli quo-
tidiè renouaret: quanquam in ea non sum omnia comple-
xus, quòd pleraq; ita essent tradita libro præsertim quart
to, ut in hanc difficulter includi possent. Si quid autẽ à no
bis in hoc libello peccatum est, fecit eius subita confectio.
uix enim, ac ne uix quidem spacium cogitandi datum est,
cùm nec lectiones quotidianas, neq; scholas, ut Græci ap-
pellant, intermittere liceret: in quibus erat multum labo-
ris & operæ ponendum. Has autem meas institutiones ad
te mittendas potissimùm esse censui, ut hoc officio testimo
nium aliquod meæ erga te obseruantiæ & gratæ animi
uoluntatis relinquerem. Quam ob rẽ accipies libenter hos
libellos tuæ fidei commendatos, meq; tibi addictissimũ pa
tabis. Vale ex nostra bibliotheca Valentina, ad. 13. Ca-
lendas Decembres. 1554.

Ratio

RATIO METHO DI, QVAM IN HIS INstitutionibus secuti sumus.

Vemadmodum Aristoteles. 1. lib. de partibus animaliũ explicat τὸν τόπον τῆς μεθόδου omniũ librorũ de animalibus, sic ego faciendum mihi putaui ante operis huius explicationẽ. Porrò autẽ τρόπος μεθόδου ab Aristote. παιδείας nominatur initio librorũ de partibus animaliũ. Quæ vox sua nouitate adeò multorum Aristoteleorũ animos commouit, vt à me fictam esse, neq; in Arist. talem vocem legi audacter affirmarent: cõtra quos dicendũ mihi breuiter est, antequàm mei consilij rationem explico. παιδείας nomẽ, vt altius initia disputationis repetam, non eadem significatione ab omnibus Philosophis capitur. Nã Plato. 2. de Legibus primũ παιδείαν nominat consonãtiam animi in pueris, per quã norũt perturbationebus

rectè vti his verbis: τὸ δὲ πόδι πᾶς ἥδονὰς καὶ λύπας τεθραμμένου αὐτῆς ὀρθῶς ὥστε μισεῖν μὲν ἃ χρὴ μισεῖν ἐυθὺς ἐξ ἀρχῆς μέχρι τέλους, στέργειν δὲ ἃ χρὴ στέργειν τοῦτ' αὐτὸ ἀπεκρίνω τῷ λόγῳ καὶ παιδείαν πολλαχῶς ὁρίζων κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν ὀρθῶς ἂν πολλαχοῦ. Id est, in voluptatibus autē & molestijs statim ab initio vsq; ad finē ita eductum esse, vt oderit quæ odisse oportet, amet verò quæ amanda, hoc ipsum ratione separans pædiamq; nominans rectè quidem meo iudicio vocabis. Aristoteles quidem octauo Politico pædiā appellat institutionem earum artium, quæ liberales sunt, neq; hominem sordidum faciūt. Tertia huius nominis significatio in Aristotele frequentissima est, quæ dicitur ratio & via tractādæ cuiusq; artis. Hæc propria est huius loci, quæ ab Arist. aliter appellatur τρόπος τῆς μεθόδου extremo capite primi de partibus animalium his verbis: καὶ πόθι μὲν τὸν τρόπον τῆς μεθόδου τοῦτ' ἡμῖν εἰρήσθω. id est, ac de modo quidē methodi hæc à nobis dicta sint. Susceperat autem eo libro disputationem de

pædia,

pædia, vt initio libri confessus est. Extremo verò libro minori Alpha Metaphysico τρόπος ἐπιστημῆς ab Arist. vocatur. id est, modus sciendi, cùm ait. δὸ δεῖ πεῖραν δοῦναι πῶς ἕκαστα ἀποδεικτέον. ὥς ἄτοπον ἅμα τῆς ἐπιστήμης τρόπον ἐπιστημῆς, id est, idcirco pædiam habere quemq; oportet, quo nam pacto quæq; sunt accipiēda, quoniam absurdū est simul scientiā quærere & scientiæ modum. Quem locū sic enarrat Alexāder, ut modū sciendi Analytica vocet, & πεπαιδευμένῳ. i. Analytico tribuat. Digrederer hoc loco libēter aduersus explicationē quādam Auerrois de modo sciendi, quam omnes Latini mordicus tenent, si non esset à nobis satis superque in commentario libri de Constitutione artis Dialecticæ confutata. Ad pædiam reuertor, quod nomē Latinè exprimere non conceditur, cùm Cicero suæ linguæ ornandæ & augēdæ studiosissimus primo Oratorio ad. Q. Fratrem hoc uerbum Latinè non expressérit, & quod huic contrarium est Græcè nominauerit. Locus primi Oratorij est,

 in quo

in quo disputat Crassus de iure ciuili in artem redigendo his verbis: Adhibita est igitur ars quædam extrinsecus ex alio genere quodam, quod sibi totum philosophi assumunt, quæ rem dissolutam diuulsamq; conglutinaret, & ratione quadam constringeret. & quæ sequuntur. Cicero hoc loco idem tribuit huic arti, quod Aristote. 1. de partibus animalium pædiæ assignat, vt à generalioribus ad specialiora descendens, quę dispersa & dissipata erãt in artis formam includat. Decimo verò tertio epistolarum ad Atticum ἀπαιδευσίαν vocat id, quod repugnat pædiæ, cùm ait: Deinde quia πῇ ἀπὸ τὸ πρέπον videbatur, quod erat hominibus nõ ignota, non illa quidem ἀπαιδευσία, sed his in rebus ἀβιψία, & quæ sequuntur. quo loco disputat de Academica quæstione, cuius tractandæ rationem concedit quidem Catulo Lucullo & Hortẽsio, cùm negat ἀπαιδευσίαν eos habuisse, sed ἀβιψίαν. Porrò autem in his omnibus significationibus illud cõmune est habere constitutos terminos intra quos pædia cõsistat, vt in prima signi-

ma significatione sunt certi fines, quos Horat. elegãtissimè expressit his verbis:

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos vltra citraq; nequit consistere rectum.

Qui fines nominãtur ab Arist. in Ethicis quod nimium est & quod parum, iudicantur autem ratione circunstantiarũ. Secundæ item significationi certi fines sunt, quos Aristote. 8. Politico extremo constituit institutioni Musicæ, qui ad institutionem reliquarum artium transferri possunt, cũ ait: τούτους ὅρους βεῖς ποιητέον εἰς τὴν παιδείαν τό τε μέσον καὶ τὸ δυνατὸν καὶ τὸ πρέπον, id est, tres termini constituẽdi sunt pædiæ, quod mediũ est, quodq; fieri potest, & quod decet: vt dãda opera est Musicæ non nimium, neq; parum, sed mediocriter. & cantus acuti soni non est exercendus à sene, quia vel si velit nõ potest talem sonũ edere, nec si possit, senem decet. Pædia etiam tertia significatione habet certos fines, quos Aristo. expressit 1. de part. anima. cùm ait: πεπαιδευμένος γὰρ ὄν, κατὰ βάτον τὸ δυνάσθαι κείνῳ ὄυσόν ἔως τί καλῶς ἢ μὴ καλῶς ἀφορίζωσιν ὁλέ-

γον. id est, eius qui habet pædiã munus est secundum modũ posse iudicare folerter quid rectè, aut quid non rectè explicat, is qui dicit. Paulò pòst modum hunc vocat terminos, cũ inquit: ὥστε δῆλον ὅτι καὶ τῆς περὶ φύσεως ἱστορίας δεῖ τινὰς ὑπαρχειν ὅρους τοιούτους πρὸς οὓς ἀναφέρων ἀκριβέξεται τὸν τρόπον τῶν δεικνυμένων. Ita perspicuũ est terminos quosdam, huiusmodi constitutos esse scientiæ naturali, in quos intuens approbet modum earum rerum, quæ demonstrantur. Termini autẽ huius pædiæ sunt præcepta methodi. Porrò pædia tertia significatione duplex est: vna generalis, altera specialis. Generalis est quæ nõ adiungit præceptis methodi propriã aliquam artem, quale est hoc præceptum in artibus tradẽdis à generalioribus ad specialiora progrediendũ est. Huic arti subiecta sunt omnia præcepta Analytica & methodi. Pædia specialis est, quæ præcepta methodi coniungit cũ certa arte quale illud præcepum est. 1. de part. anima. In Physiologia à generalioribus ad specialiora descendendum est. Hæc etiã pædia spec-

specialis cõtinet aliquando præcepta repugnantia pædiæ generali habita ratione rei subiectæ, de qua disputatur: quod declarat Aristot. 1. Ethico cùm ait, cuiq; artifici secundum subiectam materiã disputandum esse. Exemplum repugnans pædiæ generali tale erit. In Physiologia de animalibus prius quàm de plantis agẽdum est. nam repugnat illi theoremati, à generalioribus ad specialiora progrediẽdum esse, cùm plantæ viuant, non etiam sentiant, viuere autem latius pateat quàm sentire. Has duas pædias distinguit Aristoteles. 1. de partibus animal. postquàm explicauit duos esse habitus rei cuiusque percipiendæ: vnum, qui vocatur scientia, alterum pædia. de artifice pædias sic loquitur: τοιοῦτον γὰρ δὴ τίνα καὶ τὸν ὅλως τεχνικὸν διωρισμένον οἰόμεθ' εἶναι καὶ τεχνικοῦ δὲ τὸ δυνάσθαι ποιεῖν τὸ ἠρημένον. πλὴν τοῦ μὲν περὶ πάντων ὡς ἀπαξαπλῶς τινὰ κειμένου νομίζομεν ἕνα τὸν ἀριθμὸν ὄντα, τὸν δὲ περὶ τινὸς φύσεως ἀφωρισμένης. εἴη γὰρ αὖ τις ἐγκριθεὶς περὶ ἕν μόριον. id est, talem enim quen-

quendam omnino peritum pædiæ putamus esse, qui posit quod dictum est prestare, præterquàm quod vnũ facimus rerum omnium iudicem, qui singularis est & vnus, alterũ certi generis arbitrũ: alius siquidem est qualis prior, qui in vna tantùm parte versatur. Hoc loco apertè Aristot. facit duos artifices pædiæ ac proinde duas pædias: quarum una generalis sit iudex & arbitra omnium artiũ, quæ pars est Logicæ Analytica, altera specialis cuiusq; artis propria. Hunc locum Theodorus non intelligens ita vertit, ut peritum pædiæ specialem credat eundem atq; peritũ scientiæ esse, cùm longè inter se discrepent, ut intelligitur ex Arist. 3. Polit. cùm scribit tres esse Medicos hoc modo: ἰατρὸς δ' ὅτε δ' ἡμιουργὸς καὶ ὁ ἀρχιτεκτονικὸς τρίτος ὁ παιδευτικὸς πρὸς τοὺς τέχνας. εἰσὶ γὰρ τινὲς τοιοῦτοι καὶ πρὸς πάσας ὁμοίως τὰς τέχνας. ἀποδίδομεν δὲ τὸ κεῖνος δ' ἀρχιτέκτων τοῖς παιδευτικοῖς ἢ τοῖς ἰατροῖς. id est: Medicus enim est & faber & architectus, & tertius qui pædiam tenet artis. Sunt enim tales quidam periti in omni arte

mni arte, quibus tam concedimus iudicare de artibus, quàm ijs qui scientiã tenẽt. Hũc locum si legisset prius Theodorus, intellexisset specialẽ παιδευτικὸν ab eo multùm differre, qui teneat scientiam cuiusq; artis, quod declarat Arist. exẽplo Medici, qui faber dicitur, quia exercet artem, Architectonicus, quia tenet scientiã, quæ tanquàm Architectus præest operi, & quid faciẽdum sit imperat: peritus uerò pędiæ specialis, quia potest & nouit iudicare quid rectè, quid'q; contra in scientia Medicinæ tradatur, & quid proprium quid'q; alienum sit. Quamobrem Theodorus Gaza malè hunc locum uertit, ut credã unum esse hunc locum ex ijs, quos Petrus Alcyonius in libris de animalibus malè uersos ac deprauatos à Gaza conqueritur. Leonicus etiam Thomæus uir in omni genere literarũ peritissimus hunc locum non intelligit. nã primo pædiam interpretatur cognitionem rerum, quæ comparatur ex materia & ex remotis causis, neq; uidet hac scientia nõ posse iudicium ferri quid rectè, quid'q; contrà dicatur

dicatur in singulis artibus, quod propriũ
est munus pædiæ, deinde cùm Aristo. di-
stinguit generalẽ pædiæ peritum, credit
eum esse singularem quẽdam hominẽ &
supra hominum naturam constitutũ, tan
quàm de cœlo delapsum: qui si Analyti-
cum intellexisset, humanam certè agno-
uisset esse artem. Aristo. etiam. 1. Ethico
ad Nichomacum duos facit peritos pæ-
diæ: unum generalem, alterũ specialem:
his uerbis. ἕκαστος δὲ κείνῃ καλῶς ἂν γινώσ-
κοι τὸν τόπον ὃν ἀγαθὸς λεκτὴς καθ' ἕκα-
στον ἄρα ὁ πεπαιδευμένος. ἁπλῶς δὲ ὁ περὶ
πᾶν πεπαιδευμένος. id est. Quisq; uerè
iudicat de ea re quam nouit, atq; eius est
uerus arbiter sigillatim quidem qui ha-
bet pædiã cuiusq; artis, omnino uerò qui
omnium artium pædiam tenet. Hunc lo-
cum Perionius malè uertit, secutus, ut cre
do, errorem omnium interpretum Arist.
de quibus unius tantũ Eusthratij errorẽ
indicabo, qui cęteris doctior existimatur,
qui peritum pędiæ generalem negat pri-
mum in rerum natura cohærere posse, lo
cum uerò Arist. cum hypothesi explican
dum

dum esse, ut si quis sit qui teneat pædiam
generalem per hypothesim, ad eum reuo
centur speciales periti pędiæ. Postremò,
incertus quam sententiam sequatur, ge-
neralem artificem pædias uocat eum qui
magno usu & exercitatione artiũ ualeat,
quasi uerò idem sit pędia quod δύναμις,
ut loquitur Plato in Phędro, quæ natu-
ra arte & exercitatione comparatur. Ta-
læus neq; locum benè uertit, neq; intelli-
git: qui omnes si Alexandrum extremo
minori alpha Metaphysico legissent, in-
tellexissent certè pædiam ab Arist. nomi
nari artem Analyticam. Quòd si Alexã-
dro credere noluerunt, saltem Aristoteli
credere debuerunt, qui. 1. Ethico ad Eu-
demum apertè declarat quid pædia uoce
uir exposita diffinitione cõtrarij, hoc mo
do: ἀπαιδευσία γὰρ δὴ πόδι ἕκαστον πρᾶγ-
μα τὸ μὴ δυάσθαι κρίνειν τοὺς τε οἰκείους λόγους
τοῦ πράγματος καὶ τοὺς ἀλλοτρίους, & quæ
sequuntur. id est: Ignoratio pædię, est nõ
posse iudicare in quaq; re, quæ rationes
proprię, quę alienę afferãtur, ergo pędia
docebit, quæ propriæ rationes, quę alie-
nę sint

næ ſint cuiuſq; artis. Hoc autẽ docet Ari
ſtotel. 1. Poſterioris Analiſeωs, cùm ex-
plicat quando de genere ad genus liceat
tranſire in demõſtrationibus, & quæ de-
mõſtrationes propriẹ Geometriæ & quæ
alienẹ ſint. Hanc ſententiam ueram eſſe
confirmat locus Ariſt. 4. Metaphy. ca. 3.
cùm inuehitur in philoſophos, qui igno-
rata ratione Analyticorũ quid ſubiectũ
eſſet Phyſico, quidq; primo philoſopho,
non intellexerunt, & ſcribit in hunc erro
rẽ eos incidiſſe δι' ἀπαιδευσίαν τῆς ἀνα-
λυτικῆς. id eſt, propter ignorationẽ Ana-
lyticorum, ut pẹdia & ἀπαιδευσία pro-
priẹ ſint Analyticæ partis. Sic etiã Ari-
ſtote. 1. Oratorio ἀπαιδευσίαν uocat in
Rhetoricis ignorare quid proprium ſuæ
artis, & quid alienum, cùm reprehendit
eos Rhetoras qui ſe politicos profiteren
tur, id q; feciſſe eos ſcribit aut propter ar-
rogantiam, aut ob alias cauſas humanas,
aut δι' ἀπαιδευσίαν. i. quod ignorarent
qui termini conſtituti ſint Rhetoricæ ar-
ti, quiq; Politicẹ. Hanc ἀπαιδευσίαν ob-
ijcit Ariſt. philoſophis ueteribus, tam in
moralibus,

moralibus, quàm in phyſicis & metaphy
ſicis: Quamobrem reprehendendi ſunt
Ariſtotelei, qui pædiẹ nomen fictum eſſe,
neq; in Ariſt. legi pronuntiarũt. niſi ea in
Ariſt. legi negẽt, quẹ aut aliter quàm par
eſt, aut certè ab interpretibus non intelli
guntur. Sed hoc mirandum non eſt, cùm
diſputatio de proprietate Grẹci nominis
ſit ſuſcepta ab ijs hominibus, quorũ ple-
riq; omnes Græcè neſciũt. Reprehẽden-
dus quoq; P. Ramus, qui ſe primum auto
rem methodi doctrinæ & prudentiæ pro
feſſus eſt, cùm Ariſt. huius ſententiæ pri-
mus autor & inuentor fuerit: ſed Ramus
ut credo, tanquàm callidus fur, mutatis
nominibus, ceu ſignis mutatis, culpam ſe
huius criminis uitaturum fuiſſe exiſtima-
uit. Sed, ut eo reuertatur noſtra diſputa-
tio unde delapſa eſt, pædia ſpecialis huius
libelli hoc loco explicanda eſt exemplo
Ariſt. qui toto primo lib. de partibus ani
malium pædiam ſpecialem diſputationis
de animalibus explicauit, atq; etiã. 1. cap.
de animo tradidit pædiam propriam li-
brorum de animo, primo uerò Phyſico

methodum propriam totius physiologię
persecutus est. Huius itaq; nostræ pædiæ
primum theorema tale est, quale quod af-
fertur ab Arist. 1. de part. animaliũ: nẽpe
à generalioribus ad specialiora progre-
diendum est, ut res facilius cõprehendan
tur, non uicissim, ne eandẽ disputationem
sæpè repetere cogamur. Hoc theorema
facit, ut aliqua à nobis prætermittantur,
quia hac ratione explicari non possunt:
ut in disputatione de causis, cùm sex mo-
di causarum ab Arist. tradantur, nec alij
ex alijs, tanquam specialiores ex genera-
lioribus nectantur, à nobis unus tantùm
modus affertur in diuisione causarum ef-
ficientiũ. Hoc theorema ut perpetuò te-
nerem aliquas diffinitiones & diuisiones
de meo addidi, sed quæ sententijs Arist.
& Peripatericorum conuenirent. Secun-
dum theorema continet ordinem partiũ
huius physiologiæ, quale est quod legi-
tur. 1. de part. animalium, sint'ne phæno-
mena anteponenda explicationi causarũ,
id est, num libri de historia animaliũ, qui
phænomena continent, præponendi sint
cæte-

cæteris libris, qui disputant de causis ani
malium. Partes igitur Physiologiæ. 4.
sunt, vt ait Arist. 1. ca. primi de cœlo, cor
pora, motus, affectiones, & principia: quę
eo ordine collocandæ sunt, vt posterius
doceantur quæ cognitionem priorũ po-
stulant: quales sunt causæ. Quæruntur e-
nim causæ à philosophis naturalibus cor
porum, motuũ & affectionum: quare nisi
illa primùm explicentur, causæ percipi
non poterunt. Affectiones etiam commu
nes sunt corporum & motuũ: corporũ,
vt calor & frigus: motuum, vt æquabilis
aut inæquabilis. Motus verò affectionis
non est, sed corporis tantùm quod affici-
tur. Quare prima debet esse disputatio
de corporibus, secunda de motibus, ter-
tia de affectionibus, extrema de causis.
Deinde is est ordo quæstionum Analyti-
carum, vt res subiecta & attributa primũ
explicentur quid sint, deinde cõueniat'ne
res attributa rei subiectæ, & ad extremũ
propter quam causam conueniat. Quem
ordinem omnes Mathematici sequũtur,
qui diffinitiones primùm & elemẽta col-

 locant,

locant, deinde afferunt demonstrationes. Sic nos cùm quarto libro multarum rerũ naturalium demonstrationes persequamur, quarum subiecta sunt corpora, attributa uerò motus & affectiones, hunc ordinẽ necessariò sequi debuimus. Iam uerò quemadmodum oẽs Astronomi prius explicant phænomena, quàm causas persequantur, sic philosophi naturales facere debent, ut præcepit Aristoteles. 1. de partibus animalium. quidẽ quòd ordinem similem huic nostro secutus est Aristo. in libris de animalibus, qui sunt diligentius ab eo scripti, quàm cæteri libri. Nam primùm disserit de corporibus & partibus eorum à principio usq; ad octauum cap. 4. libri de historia animalium, deinde de motibus & ortu animalium à cap. 8. lib. 4. ad lib. 8. post de affectionibus lib. 8. & 9. ad extremum de causis animaliũ disputat. sic enim iudico libros Arist. de animalibus collocandos esse, ut idem testatur primo de partibus animalium cap. 1. In quo hanc quæstionem secundã ponit, his uerbis: Neq; illud quod nunc dicetur perspicuũ

perspicuũ satis est, num quemadmodum Mathematici res Astronomicas explicant, sic Physicus debeat primùm phęnomena animalium & partes cuiusq; generis explicare, deinde quam ob rem sint, & causas cuiusq; reddere, an secus faciendũ sit. Quam quæstionẽ paulò pòst his uerbis soluit: Videtur autem hinc sumendũ esse initium, quemadmodum anteà diximus, ut primùm phænomena cuiusq; generis capiantur, deinde causæ horum & ortus explicentur. Quamobrem libri de historia animalium anteponendi sunt reliquis libris animalium. In explicatione uerò causarum eundem ordinem censeo sequẽdum, quem Arist. in historia describenda tenuit, ut præcedant libri de causis corporum & partium, qui sunt tres libri posteriores de partibus animalium, libellus de ingressu animaliũ, & tres libri de animo, in libris quidem de partibus & ingressu disputatur de materia animaliũ, in libris autem de animo de reliquis causis. nam animus obtinet uim trium causarum, ut scribit Aristo. 2. de animo. Se-

Universidad de Deusto Biblioteca

quũtur deinde libri de causis motuũ, qui sunt de sensu, de memoria, de somno, de communi motu, & quatuor libri priores de ortu animaliũ. extremus est liber quintus de ortu animalium, in quo disputat Arist. de causis affectionum animalium. Cuius credo argumenti erat libellus Aristote. qui perijt, de ualetudine & morbo. Existit hoc loco quęstio quî fieri possit ut corpora & motus per causas diffinianturcùm causarum explicatio posterior sit. Huic quæstioni ita respondemus, nobis propositum fuisse ex decretis tantùm Aristote. diffinitiones colligere, propter quam causam diffinitiones eiusdem retinendę fuerunt: quanquam nõ ignoramus aliter diffiniri potuisse, cùm duo sint diffinitionum genera, ut scribit Aristo. 2. Posteriorum, & Galenus. 4. de differentijs pulsuum: unum notionis, alterũ rei. diffinitione quidẽ notionis res quid sit explicatur per ea tantùm accidentia, quæ solo sensuũ iudicio uel à plebeio homine comprehẽdi possunt: qualis est hæc descriptio pulsus, motus qui sensu percipitur in ijs animalis, quę sanguinem habent quiete interpellatus. Tales descriptiones afferri debuissent in diffiniẽdis corporibus & motibus, si non aliud nobis propositum fuisset. Quoniam autem quarto lib. persequimur causas affectionum & motuum, quæ de corporibus dicuntur, demõstrationes aliquæ necessariò eo libro afferendæ fuerunt, cõtra quam in methodo diffiniẽdi præcipitur. Si quid autem à nobis prætermissũ, in scholijs nostris persequemur.

Errata.

Folio. 4. pagi. 1. uersu. 13. utranq;. fo. 7. p. 2. uers. ultimo. utimur. fo. 10. p. 1. uer. 13. & 16. inconcoctio. fo. 15. p. 1. uer. ultimo, alieni. f. 19. p. 2. uer. 10. loge sal, & dele mel. Ibidem uer. 15. dele non. Ibidẽ uer. 16 lege inæqualẽ, & uer. 18. dele nec. ultimo uersu, pro sed lege hæc. fo. 21. p. 1. uer. 5. nisi. fo. 30. p. 1. ue. 17. protusa. fo. 32. p. 1. uer. 13. utrunq;. fo. 34. uer. extremo, lege, si simpliciter. fo. 35. p. 2. uers. ultimo, pro siccæ lege frigidæ. fo. 37. p. 1. uers. 9. lege alimenti. fo. 41. p. 1. uer. 16. lege inconcoctæ. fo. 41. p. 1. uer. 17. odore. Ibidẽ. p. 2. uer. 1. lege temperent. fo. 43. p. 1. uer. 17. quia si prope à terra sint, sol.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Εἰς Νουνέσιου τούτης τῆς μεθόδου αὐθῳὰ Δ ὀκτάστιχον Πέτρου Ἰακώβου ἀλφωτίνου τοῦ ἰατροῦ.

Δῶρα μὲν ἐκ φοίβου Νουνήσιος ἔλλαβεν οἶος
Μουσάων ἰδέας τέμνεα, ἡ δὲ χορεύς.
Αὐτὰρ ἄμ' αὐταῖσιν πολὺ φίλτατον αὔδρα κιχήσας
Εξαγαγεῖν εἰς φῶς ἤθελ' Αριστοτέλη.
Ευρε δ' ὅλον πλόκωμ, βιότου δ' ἀ βέλεος πάμπαν
Ανδρα νεκρὸν λαχέειν κ' ἄρξατο τὸν δὲ κάτω
Αὐτὰρ ὅγε ἐντέχνως μεθόδου πέρι πολλὰ μογήσας
ὅσα πόρε εἰ κάνοι μάθοιεν, ὧδε γράφων.

Cautum est priuilegio Senatus Valentini ne quis intra decennium hunc librum imprimat, aut alibi impressum vendat.

INSTITVTIONVM PHYSICARum Petri Ioannis Nunnesij Valentini libri quatuor collecti methodicè ex decretis Aristotelis.

Physiologia.

PHysiologia, est ratio rerum naturâ constantium. Primo cap. 1. de Cœlo.

Physiologiæ partes .4.

Corpora, motus, affectiones, & principia: quæ omnia naturâ constant. Ibidem.

Corpus.

Est id quod omni ex parte secari potest, id est, per omnes dimensiones: vt ignis est corpus, cùm sit longus, latus, & crassus: quæ sunt omnes dimensiones. Ibidem.

Corporum genera .2.

Simplicia, concreta. Primo de cœlo cap. 2.

Corpora ſimplicia.

Ibidem. *Sunt quæ motus principium habent naturâ: vt ignis, qui naturâ in ſublime fertur.*

Simpliciũ corporũ genera. 2.

Ibidem. *Cœlum, & elementum.*

Cœlum.

Ibidem. *Eſt corpus ſimplex quod per ſe in orbem mouetur.*

Cœli. 8.

Ex libro de Mundo. *Primum ſtelliferum, ſecundum cœlum Saturni, tertium Iouis, quartum Martis, quintum Mercurij, ſextũ Veneris, ſeptimum Solis, & vltimum Lunæ.*

Cœli partes ex. 3. colligũtur.

Ex denſitate, ex circulis, & ex loco.

Ex denſitate. 2.

Stella, quæ diffinitur pars denſior cœli, reliqua pars eſt minùs denſa.

Stella-

Stellarum genera. 2.

Stellæ errantes, & non errantes.

Stellæ errantes. 5.

Capi. 12. ſecũdi de cœlo. Ibidem. *Saturni, Iouis, Martis, Mercurij, & Veneris.*

Stellæ non errantes. 3.

Sol, luna, & ſtellæ infixæ. Infixæ autem vocantur, quæ verſantur in cœlo ſtellifero: quarum duæ, circa quas voluitur cœlum, poli vocantur. ex quibus, qui nobis ſemper apparet, nominatur polus Arcticus: qui non apparet, Antarcticus.

Partes cœli ex circulis. 5.

Quinto cap. 2. Meteo. *Hæ partes vocantur cinguli, aut zonæ. Prima zona eſt pars cœli, quæ iacet inter polum Antarcticum & circulum Antarcticum. eſt autem circulus Antarcticus, qui diſtat à Polo Antarctico. 23. partes, & aliquid amplius. Secunda zona eſt*

Universidad de Deusto Biblioteca

na est, quæ sita est inter circulum Antarcticum & circulum Brumalem. Est autem circulus Brumalis, quem describit Sol cùm est in prima parte Capricorni: vnde Tropicus Capricorni vocatur. Tertia zona est, quæ continetur circulo Brumali, Æquinoctiali & Tropico Cancri: Circulus autem Æquinoctialis est, qui totum cœlũ diuidens in duas partes æquales ex æquo distat ab vtroque Polo. Tropicus autem Cancri est circulus, quem facit Sol cùm in prima parte Cancri versatur. Porrò autem inter Tropicum Capricorni & Cancri medius iacet Zodiacus: est autem Zodiacus circulus obliquus, qui secat circulũ Æquinoctialem in prima parte Arietis & Libræ. Quarta zona est pars cœli quæ iacet inter Tropicũ Cancri & circulum Arcticum: circulus autem

Ca. 10. lib. 2. de Ortu.

autem Arcticus est, qui distat à Polo Arctico 23 partes, & aliquid amplius. Reliqua est quinta zona, quæ est sita inter circulum Arcticũ & Polum Arcticum.

Partes cœli ex loco 6.

Dextra pars, à qua est principium motus cœli stelliferi: sinistra huic contraria, quæ est occasus: suprema pars est polus Antarcticus: infima pars est polus Arcticus: pars anterior est, quæ spectat meridiei signa: vt Capricornum: posterior, quæ spectat Septentrionis signa: vt Cancrum. In reliquis orbibus est cõtrarius situs partium: vt dextra pars est occasus, sinistra ortus, suprema polus Arcticus, infima Antarcticus, anterior Cancer, posterior Capricornus. Hactenus de cœlo.

Cap. 2. lib. 2. de Cœlo.

Elementum.

Est corpus simplex, in quod cætera cor

Tertio cap. 3. de Cœlo.

Universidad de Deusto Biblioteca

pora diuiduntur, ipsum autem in ea, quæ specie differunt, diuidi non potest: vt terra, in quam dissoluitur, exempli causa, homo: quia superest cadauer: pars autē nulla terræ est, quæ differat specie ab altera, nam omnis pars terræ est terra

Elementa. 4.

Capi. 2. & 3. lib. 2. de Ortu.

Ignis, aër, aqua, terra. Ignis est elementum summè calidum & remissè siccum. Aër est elementum summè humidum & temperatè calidum. Aqua, est elementum summè frigidum & remissè humidum. Terra, est elementum summè siccum & temperatè frigidum.

Corpora concreta.

Cap. 8. secūdi lib. de Or.

Sunt, quæ ex mixtione elementorum constant: vt homo concretus est ex temperatione quatuor elementorum.

Corpo-

Corporū concretorū genera. 2.

Perfecta, & imperfecta.

Corpora imperfecta.

Sunt, quæ supra terram nascuntur ab expiratione terræ.

Corporum imperfectorum species. 3.

Cap. 3. primi Met.

Quæ fiunt in suprema regione aëris, quæ fiūt in media regione, et quæ fiūt in regione infima, quæ nobis finitima est. Suprema regio aëris est, quæ proxima est cœlo. Infima, quæ cohæret coniuncta cum terra. Media inter vtrunque iacet.

Quæ fiunt in suprema regione aëris. 6.

Cap. 4. primi Met.

Flamma, Capra, Faces, Stella quæ trajicitur, Cometa, Galaxias. Flamma, est inflammatio longa & lata. Capra, est inflammatio micans, quæ longius

patet, quàm latius: quæ si non micat, vocantur Faces. Stella quæ traijcitur est inflammatio cõueniens latitudine & magnitudine, quæ paululum & multis locis diffusa est. Cometa est inflammatio vehemens & densa, quæ si sui similis est & quasi globosa, stella crinita dicitur: si longè pateat, barbata. Galaxias, id est, orbis lacteus est maximus orbis habẽs iubam propter secretionem.

Cap. 7. primi Met.

Cap. 8. primi Met.

Corporũ quæ fiunt in media regione formæ. 2.

Quæ fiunt ab exhalatione humida, & quæ fiunt ab exhalatione sicca.

Quæ fiunt ab exhalatione humida. 7.

Nubes, pluuia, nebula, nix, grãdo, ros, & pruina. Nubes, est halitus ex aëre frigido in aquam condensatus. Nebula, est reliquia

Cap. 9. primi Met. 10 11. et. 12.

reliquia nubis, quæ in aquã concreta est. Pluuia, est aqua quæ descendit ex nube. Nix, est vapor nubis cõgelatus, antequã nubes in aquam vertatur. Grando, est aqua in superiori parte mediocriter congelata, in inferiori vehementer. Ros, est halitus interdiu excitatus, qui in sublime non fertur, in aquam versus. Pruina, est halitus interdiu excitatus, qui in sublime non fertur, sed conglaciatur, antequàm in aquam se vertat.

Corpora quæ fiunt ab exhalatione sicca.

Sunt ventí, qui compressis nubibus exprimuntur: vt fulmen.

Cap. 8. secũdi Met.

Horum genera. 5.

Fulgur, typhon, procella, prester, fulmen. Fulgur, est ventus expressus concursu nubium in partes exiguas, sparsimque

Cap. 1. lib. 3. Met.

diffusus, crebrò nascẽs, et tenuis. Procella, siue ecnephias, est vetus è nube expressus cõfertim & dẽsus. Typhõ, seu vortex est ventus expressus è nube, qui repulsus in obliquũ agitur. Prester. i. Turbo accensus, est ventus expressus è nube lenis, qui cùm deijcitur, ardorẽ concipit. Fulmẽ, est vẽtus è nube expressus multus, tenuis, & lenis. Fulmẽ cũ non incẽdit propter multã tenuitatẽ, vocatur Argeta: quod si minus tenue sit, nec incendat, vocatur Psoloeis.

Corporũ quæ fiunt in ima regione aëris species. 2.

Aquæ, & venti.

Aquarum formæ. 2.

Cap. 1. secũ di Met.

Aquæ aliæ profluentes, aliæ manent conclusæ. Profluẽtes sunt vt fontes & fluuij. Quæ manent conclusæ: vt mare, quod est moles elementi aquæ, & putei. Fons est aqua profluens sua sponte ex vena terræ in aërem

in aërem erumpens, à qua amnes fluunt.

Ventus.

Est vapor multus spirans ex terra calefacta. Cap. 4. secũ di Met.

Venti. 12.

Zephyrus. i fauonius, qui flat ab occasu æquinoctiali: Subsolanus huic contrarius ab ortu æquinoctiali. Septẽrio, qui flat ab Vrsa: Auster est qui flat à meridie. Cæcias, qui flat ab exortu æstiuo: Africº, huic cõtrarius, qui flat ab occasu hyberno. Eurus. i. vulturnus, qui flat ab exortu hyberno: cõtrarius ei est Argestes siue Corus, q flat ab occasu æstiuo. Thrascias interiectus est inter Corũ & Septentrionẽ: cui cõtrarius est Phœnicias siue Euronotus, qui mediũ locũ tenet inter Austrũ & Eurũ. Meses est interiectus inter Septentrionẽ & Cæciã: cui cõtrarius est Libonotº, qui mediũ locũ tenet inter Africũ & Austrũ. Cap. 7. secũ di Met.

Atq; hactenus de corporibus imperfectis

Corpo

Universidad de Deusto Biblioteca

Corporũ perfectorũ genera. 2.

Animata, & quæ carent anima.

Corpora perfecta quæ carent anima.

Cap. 5. tertij Met. *Sunt quæ nascuntur intra terram, ab expiratione tamen ipsius terræ.*

Horum genera. 2.

Ibidem. *Quæ fodiũtur, & quæ eliciũtur ex terra: quæ fodiuntur, aut sunt ferè puluis colore præditus: vt sandaracha, ochra, miniũ, sulphur, & alia eiusdem generis, partim lapis constãs ex his partibus: vt cinnabari. quæ eliciuntur aut funduntur, aut producuntur: vt ferrum, aurum, æs.*

Corporũ perfectorũ partes. 2.

Sui similes: vt metallorũ partes, & animaliũ carnes, ossa, et aliæ huiusmodi: aliæ dissimiles, quæ vocãtur instrumẽta: vt faciles. Hactẽus de corporibus disseruimus.

INSTI-

INSTITVTIONVM PHYSICARUM Petri Ioannis Nunnesij liber secundus, de motu.

Motus.

Secũdo cap. tertij Physic. *Est actus eius quod esse potest, qua ex parte eam vim habet: vt curatio est actus eius corporis, quod potest curari, hoc ipso quod tale est. Ex hac diffinitione perspicuum fit motum esse in ea re quæ mouetur, & esse partim re ipsa, partim potestate.*

Motus genera 3.

Cap. 1. quinti Physic. *Vnum ex eo quod non est subiectum ad id quod est subiectũ, id est, ex eo quod non est ad id quod est; vocatur autem ortus: vt ortus hominis fit cùm ex embryone quod non erat homo oritur homo: alterũ*

ex eo

Universidad de Deusto Biblioteca

ex eo quod est subiectum ad id quod non est subiectum, quod vocatur interitus: vt cùm fit interitus bouis, ex boue efficitur cadauer, quod non est bos. Hi duo motus conueniunt omnibus corporibus præterquàm cœlo: qui duo motus ita retro commeant, vt ortus vnius rei sit interitus alterius, & vicissim: vt ex interitu hominis oritur cadauer. Omne autem quod ortum est occidet in id ex quo ortum erat: vt bos occidit in corpus, cùm ex corpore natus sit. Tertium ex eo quod est subiectum ad id quod est subiectum, quod solum propriè motus appellatur: nam reliqua genera appellat Aristoteles mutationes.

Motus ex re subiecta ad subiectã species 3.

Ibidem: Motus ad quantitatem, ad qualitatẽ, et ad locũ. His auem nominibus vtitur, quia omnis

Capite. 5. quinti Phy.

omnis motus accipit nomen ab extremo ad quod tendit: vt refrigeratio à frigore.

Motus ad quantitatem species. 2.

Accretio & decretio. Accretio, est motus qui fit ex minori quãtitate ad maiorẽ: vt cùm crescit planta. In re autẽ quæ augetur omnes partes mutantur, re tamen incolumi permanẽte. Decretio, est motus qui fit ex maiori quantitate ad minorem: vt quum planta minuitur. Hi motus insunt tantum in corporibus animatis. Motus qui tendit ad qualitatem vocatur cõmutatio: est autem motus qui fit ab aduersa qualitate patibili aut media ad qualitatẽ aduersam: vt refrigeratio aquæ est cõmutatio per quã aqua ex calida fit frigida. Ex media autẽ qualitate, quia particeps est alterius cõtrarij, fit cõmutatio: vt ex

Quinto. cap. 1. de Ortu.

Septi. phy. cap. 3.

Universidad de Deusto Biblioteca

vt ex re tepida, hoc ipso quod calida est, efficitur frigida. Porrò commutatio conuenit omnibus corporibus, præterquam cœlo, atque hæc propriè commutatio nominatur. Sensus verò nõ est propriè commutatio, vt constat ex diffinitione suprà tradita, & ex disputatione Aristotelis capite tertio septimi Physicorum. Sed dicitur commutatio κάθαχρησις per quam perficitur res quæ commutatur. Sentiendi, siquidem facultas perficitur sentiendo. Sed de his libro quarto disseremus.

Commutationis species. 2.

Primæ commutationes, & secundæ.

Primæ commutationis species quatuor.

Secundo capite. 4. Me. Calefactio, refrigeratio, humectatio, exsiccatio: quæ satis ex ipsis nominibus quæ sint intelligitur. Reliquæ commutationes

tiones ab his proficiscuntur: vt concoctio, inconcoctio, concretio, liquatio. humectatio bifariam dicitur: primò cùm aliquid in aquam vertitur, deinde cùm id quod concretum est liquatur. 6. capi. 4. Met.

Concoctio.

Est perfectio à calore naturali proprioq; manãs ex cõtrarijs qualitatibus, ijs quæ patiẽdi vim habẽt. cõtrarias qualitates voco alimentũ quod antequã vertatur in rẽ quæ alitur dissimile ei est, perficitur autẽ simile à calore naturali animalis, aut plantæ, atque tunc fit cõcoctio. Ibidem.

Concoctionis species. 3.

Maturitas, elixatio, assatio. Maturitas, propriè dicitur in fructibus, sed trãsfertur etiam ad animalia. Reliqua duo nomina translata sunt ab arte coquorum ad animalia & plantas. Maturitas autẽ est con Cap. 3. tertij Met.

est concoctio alimenti quod est in fructibus. Quæ diffinitio transfertur ad alias res quæ maturæ dicuntur: qualis est maturitas pituitæ. Elixatio, est interminatæ rei, quæ in humido inest à calore humido facta concoctio: vt cùm elixantur carnes. Est autem interminatus humor natura quædam spirabilis aut aquosa. Elixatio etiam metaphoricωs dicitur: idque dupliciter. Primò aurum, ligna, & alia huiusmodi elixari dicuntur, cùm humor qui in ipsis inerat à calore ignis secernitur. Hinc fiunt ligna, quæ vocantur acapna. Deinde liquida elixari dicũtur, cùm succus naturalis, qui in ipsis inest, ab ambiẽte igne concoquitur, & in aliam formam vertitur: vt lac, mustũ. neutra tamen propriè elixatio est, cùm à calore humido nõ fiat. Assatio, est concoctio facta à calore arido

arido & alieno: vt cùm assantur carnes subiecto igne.

Inconcoctio.

Est imperfectio propter natiui caloris penuriam. Penuria autem caloris est frigus: vt cùm alimentum causa frigoris nõ concoquitur. Ibidem.

Inconcoctionis species. 3.

Cruditas, non plena elixatio, non plena assatio. Cruditas, est inconcoctio eius alimenti, quod est in fructibus: vt in fructibus non maturis. transfertur etiam ad animalia. Elixatio non plena est concoctio interminatæ rei quæ in humido inest à calore humido facta. Assatio non plena est concoctio facta à calore arido et alieno. Hæc ex superioribus contrarijs satis intelliguntur. Ibidem.

Universidad de Deusto Biblioteca

Concretio.

Ca. 7. quar. Met. *Est cogmentatio aquæ, aut terræ et aquæ facta à frigore aut calore & ariditate: vt aqua à frigore cõcrescit et cõglaciatur. Liquatio, est solutio rei concretæ facta à contraria causa concretionis: vt quæ concreuerũt à frigore liquãtur à calore, & vicissim: vt aqua igne apposito liquatur.*

Mutatio loci.

Est motus ex vno loco ad alterum locum: vt deambulatio: nam qui deambulat locum mutat.

Cap. 2. sep. Phy.

Mutationis loci formæ. 2.

Aut fit à se, aut ab alio. A se fit, quæ habet internum principium mouens: vt homo habet animũ autorem suæ deambulationis. Ab alio, cùm externũ est mouens: vt terræmotus, qui fit ab impetu venti.

Muta-

Mutationis quæ à se fit species. 2.

Aut fit ab animo, aut à natura. Ab animo: vt natatio piscium, volatio auium, reptio serpentum, ingressio quadrupedum. Lib. de Mo. ani.

Mutationis quæ à natura fit species. 2.

Simplex, & concreta. Simplex, est mutatio corporis simplicis: vt cùm ignis fertur in sublime. Concreta, est corporis concreti: vt cùm animal deorsum suo pondere fertur. Ca. 9. octa. Physi. & 2. tertij de Cœlo.

Mutationis simplicis formæ. 2.

Recta, & quæ in orbẽ incitatur. Mutatio recta, est quæ ab eodẽ loco ad alium locum per rectam lineam fit: vt cùm lapis deorsum fertur. Huius rursus duæ formæ sunt: nam aut fertur in sublime quod mouetur: vt ignis & aër. aut deorsum: vt Ibidem.

Universidad de Deusto Biblioteca

aqua & terra. Mutatio quæ in orbem incitatur fit cùm res in eundem locum reuoluitur à quo cœperat: quæ mutatio naturaliter soli cœlo conuenit, neque cœlum alio genere motus mouetur. Huius mutationis duæ sunt formæ: vna ab ortu ad occasum, quæ propria est cœli stelliferi quæ trahuntur reliqui orbes: altera ab occasu ad ortum, quæ conuenit naturaliter reliquis cœlis.

Cap. 11. secũdi de Cœlo.

Mutationis quæ ab alio fit species. 2.

Simplex, & coniuncta. Simplicis rursus duæ, tractus & pulsus. Coniunctæ ex his duæ, vectatio & volutatio. nam volutatio ex tractu & pulsu constat, vt est perspicuum in volutatione turbinis. Vectatio autem ex pulsu fit, aut tractu, vt in plaustro, aut volutatione, vt si quid mola vehatur. Ad has autem species referũtur omnes mutationes loci, quæ ab alio fiunt: vt impulsio est, pulsus quidam cùm id quod motum affert instãdo pellit. Depulsio verò, cùm non instat. Idem de cæteris iudicandum est. Atque hæc de generibus motuum.

Capi. 2. septimi. phy.

INSTITVTIONVM PHYSICARVM PETRI IOannis Nunnesij liber tertius de affectionibus.

Affectio.

EST accidens quod non cernitur positum in motu: vt locus.

Cap. 1. tertij de Cœlo.

Affectionum formæ. 2.

Communes omnium corporum & motuum, atque propriæ.

Communes. 3.

Infinitum, locus, tempus: vt omnis res naturalis

Ca. 1. tertij Phy.

Universidad de Deusto Biblioteca

naturalis mouetur in tempore & loco. Infinitum autem conuenit non solùm corpori & motui, sed etiam tempori & alijs.

Infinitum.

Cap. 7. ter. phy. Est cuius semper aliquid extra accipere possunt ij, qui rationem quantitatis sumpserint. Hoc revera non cohæret, sed potest tantùm esse. Infinitum autem potestate id dicitur esse, ad cuius vltimam appositionem, aut diuisionem peruenirì nò potest: vt numerus, qui etsi magnus sit, semper potest crescere adiunctione vnitatis.

Infinitum potestate triplex.

Cap. 6. ter. phy. Ex adiunctione: vt numerus cui semper potest accedere alia vnitas. Ex diuisione: vt magnitudo, quæ semper potest diuidi per partes inæquales. Et infinitum vtroq; modo: vt tempus, quod infinitũ est duratione,

duratione, potest enim semper huic accedere aliquod instans more disiunctæ quãtitatis & diuidi semper tanquam quantitas coniuncta: idem est de motu iudicandum.

Lòcus.

Est vltima extremitas eius quod circũfusum est, quæ moueri non potest. Vltimã autem extremitatem voco eam, quæ interna est & concaua: vt extremitas concaua cœli Saturni est locus cœli Iouis. Ca. 4. quar. phy.

Loci genera. 2.

Communis, proprius. Proprius est cùm quælibet pars loci respondet cuilibet parti eius corporis quod continetur. Communis cùm non respondet: vt extremitas concaua cœli Iouis est locus proprius cœli Martis. Locus autem proprius semper est parti contentæ. Extremitas verò cœli est locus com-

cus communis omnium hominum, cùm homo contingat aëra, qui ad cœlum vsq; cõtinuatus pertinet. Differentiæ loci sex sunt, sursum, deorsum, dextrum, sinistrũ, antè, ponè. Porrò omnis locus ambit aliquod corpus, neque aliquid inane cohæret in rerũ natura. Inanis autẽ vocaretur locus, si careret omni corpore, posset tamẽ repleri.

Ca. 6. quarti Phy.

Tempus.

Est numerus motus primi orbis superioris & consequẽtis, id est, mensura qua metimur successionem partium in motu, etsi motu vicissim metimur tẽpus: vt quãtam partẽ cœli videmus cõuersam fuisse, tãtùm dicimus tempus esse aut cõtrà.

Ca. 11. quarti Phy.

Temporis species. 3.

Præteritum, instans, & consequens. Instans voco non id quod indiuiduum est, quod est principium, aut finis temporis, non

non pars, sed id quod diuidi potest.

Affectiones propriæ. 2.

Corporum, motuum.

Affectiones corporum. 2.

Communes omniũ corporũ, & propriæ.

Affectiones corporum communes. 3.

Quantitatis, qualitatis, situs partium. Quantitatis: tres dimensiones, longitudo, latitudo, & altitudo: vt latitudo terræ 4000. stadiorum, quæ affertur ab Aristotele secundo de cœlo. Qualitatis: vis naturalis, perspicuitas, lumen, & figura. Porrò in omni corpore naturali inest vis faciendi: vt in cœlo, aut accipiendi: vt in corpore quod est materia: aut vtraque: vt in elementis. Perlucida dicuntur omnia corpora, quia apparent: quæ si apparent in extremitate & in profunditate, sunt perlucida

Cap. 12 primi de Cœlo.

Cap. 7. primi de Cœlo.

Cap. 7. secũdi de ani.

Cap. 7. secundi de ani.

perlucida interminata: vt vitrũ: si in extremitate tantùm, sunt terminata: vt aurum. Lumen est facultas quæ mouere diaphanum & aspectum potest. Tenebræ est priuatio luminis in natura translucida. omnia autem corpora lucida sunt præter terram, quæ est opaca. Figura aut est propria, aut aliena. Propria: vt figura rotunda cœli, stellarum, & terræ: vt facies varia lunæ. Aliena: vt figura rerum humidarum, quæ alieno fine coërcentur: vt qualis est figura ambientis vasis, talis est figura aquæ. Situs partium: densum et rarũ. Densum, cuius partes inter se propè cohærent, vt stella. Rarũ, cuius partes inter se disiunctæ sunt: vt maculæ lunæ.

Ca. 2. secũ. de Ortu.

Affectiones corporũ propriæ. 3.

Aut sint communes omnium corporum quæ oriuntur et intereũt, aut propriæ corporum

porum imperfectorum, aut eorum corporum perfectorum, quæ habent partes sui similes.

Affectiones omniũ corporũ, quæ oriuntur & intereunt. 2.

Primæ qualitates & secundæ. Primæ qualitates sunt, quæ ex alijs prioribus qualitatibus non proficiscuntur, reliquæ sunt autem secundæ.

Cap. 2. secundi de Or.

Qualitates primæ. 2.

Quæ habent vim faciendi, quæ duæ sunt calor & frigus: aut vim patiendi & accipiendi: quæ duæ etiam sunt, humor siccitas. calidũ est quod cogit ea quæ sunt eiusdem generis: vt suprema regio aëris est calida & quæ in ea nascuntur, vt venti qui flant ab ortu, aut meridie sunt calidi: frigidum est quod cõgerit tam ea quæ sunt eiusdẽ generis, quàm quæ alienæ vt cum

Ibidẽ. & 1. cap. 4. Met.

Ca. 6. quarti Met.

Cap. 2. secũdi de Or.

Universidad de Deusto Biblioteca

cùm conglaciatur aqua ſimul cum ea cõcreſcunt ligna, etſi quæ alterius generis inſunt: frigida eſt media regio aëris: frigidi venti, qui flant ab occaſu aut à ſeptentrione. Humidũ eſt quod eſt ſuæ determinationis expers, facilè tamen alieno termino coërcetur: vt aqua humida eſt, quæ coërcetur termino ambientis vaſis: vt humidi ſunt Africus et Cæcias. Siccitas, eſt quæ ſuo termino facilè coërcetur, alieno verò difficulter: vt terra quæ arida eſt, Corus & vulturnus dicuntur aridi venti.

Qualitates ſecundæ. 5.

Quæ percipiuntur tactu, quæ aſpectu, quæ guſtatu, quæ odoratu & quæ auditu.

Qualitatũ ſecundarũ quæ tactu percipiũtur differentiæ. 7.

Ibidem. Molle, durum: craſſum, tenue: lubricũ, aridum: graue, leue: aſperum, læue: vdũ, & ſiccum:

& ſiccum propriè vdo repugnans: concretum, & humidum ei propriè repugnans. Molle eſt quod cedit in ſe nec mutatur: vt cera. Durum quod reſiſtit tangẽti: vt ferrum. Craſſum eſt quod ex magnis partibus conſtat: vt terra. Tenue quod ex minutis partibus: vt ignis. Lubricum eſt humidum, quod aliquid paſſum eſt: vt oleũ. aridum huic contrarium: vt ſaxum Graue eſt, quod naturæ vi fertur in medium, id eſt de orſum: vt aqua & terra. Leue, quod à medio fertur, id eſt, in ſublime: vt aër & ignis. Mediũ autem voco centrum mundi, cui accidit terræ medium eſſe. Leuiſſimum eſt, quod omnibus, quæ ſupera capeſſunt loca, extat & eminet: qualis eſt ſolus ignis. Grauiſſimum verò, quod ſubternitur omnibus quæ deorſum ferũtur: qualis eſt ſola terra. Reliqua duo elementa

Tertio cap. primi de cœlo. & 1. ca. quarti de cœlo.

Cap. 14. ſecũ. de Cœ.

menta partim leuia, partim grauia sunt. Asperum est cuius partes aliæ eminent, aliæ superantur: vt lignũ scabrum. Læue, cuius partes ex æquo iacent: vt oua vo lucrum. Vdum est, quod in summis partibus alienum humorem habet: vt corpus nostrũ, si humore perfundatur, huic contrarium appellatur nomine generis siccũ; quod in superioribus partibus humore externo priuatum est: vt idem nostrum corpus, si non sit perfusum humore. Concretum est, quod caret proprio humore in partibus intimis: vt metalla quæ non liquantur. Humidum propriè huic repugnans est, quod habet proprium humorem internũ: vt metalla quæ liquari possunt, cùm fuerint liquefacta.

In categor.

Qualitates quæ aspectu percipiuntur.

Sunt

Sunt colores & affectio quæ caret nomine, quæ apparet noctu in fungis, capitibus & squammis piscium. color autem est extremitas corporis perlucidi terminati. Colorum species septem ab Aristotele afferuntur. Candor, cuius species quædam est color rutilus: qui cernitur in capillis & segetibus: Phœniceus, qui spectatur in sanguine: Purpureus in violis: Prasinus in porris: Cœruleus cœlo sereno cernitur: Niger in coruis. nigri autem coloris species est color fuscus, qui in messibus conspicitur. Ex coloribus alij simplices: vt candor & nigror, alij ex his temperati: vt cæteri colores.

Cap. 7. primi de ani.

Cap. 4. de sensu.

Qualitates quæ gustatu percipiuntur.

Sunt sapores. est autem sapor affectio, quæ à siccitate terrena in humore gigni-

Cap. 4. de sen.

D *tur,*

tur, quadam coniunctione efficiens, vt gustatus qui esse poterat re ipsa sit: vt dulcitudo.

Saporum species 7.

Ibidem. & 2. de ani. cap. 10. Dulcis sapor, qui spectatur in mellis huius species quædam est pinguis, qui est in oleo: amarus in absynthio: salsus in rebus salitis & in mari: acer in pipere: austerus in quibusdam generibus vini: acerbus in mespilis nondum maturis: acidus in aceto. Ex saporibus autem duo sunt simplices & contrarij dulcis & amarus, reliqui ex his temperati.

Qualitates quæ odoratu percipiuntur.

Cap. 5. de sensu. Sunt odores. est autē odor natura quædam sapidæ siccitatis in humido consistens. in humido autem interpretor tam in aqua quàm in aëre: vt ligna quæ habent siccita

siccitatem sapidam odorem spirant. Odorum autem duo sunt genera: vnum quod tale esse dicitur aliena vi, alterum per se. Aliena vi dicūtur odores iucundi aut molesti earum rerum, quibus aluntur animalia: quia propter saporem tales appellantur. Hinc eædem sunt differentiæ huius generis, atque saporum: vt appellentur odores dulces, & amari, & reliquis nominibus saporum. Odores per se appellantur qui non iuuant ciborum appetitum: vt odores qui efflantur ex floribus.

Qualitates quæ auditu percipiuntur.

Sunt soni. Est autem sonus motus eius quod moueri potest, quemadmodū ea quæ resiliunt à læuibus corporibus, cùm quis ea pulsat: vt tonitru est sonus expirationis inflammatæ, quæ erumpit è nubibus, Cap. 8. secundò de ani.

cum vi & impetu. Sonorum autem præcipuæ sunt formæ sonus acutus, & grauis. Acutus sonus est, qui sensum paruo tempore multum afficit: vt vox puerorũ. Grauis, qui longo tempore sensum parum afficit: vt vox senum. Adduntur his sonus magnus, & paruus: asper, & leuis: clarus, obscurus. Porrò sonus omnis quum refertur appellatur Echo. Soni species est vox, quæ diffinitur hoc modo: pulsus respirati aëris, qui ab ea anima, quæ in partibus vocalibus inest, ad arteriam efficitur: vt voces humanæ. Diffinitio autem soni & vocis nõ sunt ita accipiendæ, vt sonus & vox sint motus aut pulsus, sed quæ relinquitur affectio ex motu & pulsu. Atque hæc de affectionibus communibus corporum, quæ oriuntur & intereunt.

Affectiones corporum imperfectorum propriæ.

Sunt phasmata, quæ diffiniuntur visa apparentia tantùm, non cohærentia: vt Iris. Horum duo sunt genera: quæ fiunt in sublimi parte aëris, & quæ fiunt in media. In sublimi fiunt tria: hiatus, fossæ, colores cruenti: quæ ita vocantur à similitudine earum rerum, quas repræsentant. In media regione aëris quatuor fiunt phasmata: Corona, Iris, Parelij, & Virgæ. Corona, est phasma cãdidum instar circuli ambiens lunã, aut solem, aut aliud astrum. Iris, est phasma arcus similitudinem referens, tribus coloribus distinctum phæniceo, viridi, & purpureo. Arcus non possunt apparere plures quàm tres: tertius autẽ est imbecillus, neq; potest. arcus maior dimidia cœli parte apparere. Parelij duo aut plures soles, sic duæ aut plures lunæ. Cn. Domitio et L. Annio

Cap. 5. primi Met.

Cap. 3. tertij Met.

Cap. 4. & 5. tertij Met.

Cap. 6. tertij Met.

Annio coſs. tres ſimul lunæ viſæ fuerunt, vt refert Plinius. Virgæ ſeu Columnæ, ſunt nubes more fiſtulæ condenſatæ: apparent cœlo ſereno colore perlucido, & albo.

Affectionum corporum quæ habent partes ſui ſimiles differentiæ. 18.

Cap. 8. quar. Met.

Prima quæ poſſunt cogi: ſunt autem ea, quæ naturã aquæ, aut terræ & aquæ imitantur: vt mel. quæ his contraria, non poſſunt cogi: vt ſanguis ceruorũ. Secunda, quæ poſſunt liquari: ſunt autem ea, quibus ipſe pori toto corpore funduntur. vt nitrum. quæ his contraria, non liquantur. Tertia mollescere poſſunt ex rebus cõcretis, eæ quæ nõ ſunt terrenæ, ſi ex his non ſit expreſſus totus humor, vt ex nitro, nec inæqualis, vt in lateribus, nec humorem recipiunt, aut duci poſſunt, vt ligna & ferrum, ſed mollescũt: vt cera

vt cera. Quarta humore perfundi poſſunt, quæ terrena ſunt, habentque maiores meatus aquæ mole, cùm interim aquam admittendo præ duritie reſiſtant: vt fructus. Quinta flexibilia ſunt, ea quæ in conuexũ & in concauitatem moueri poſſunt ſalua longitudine: vt vimen. quæ ſi in rectum ex orbis forma commutari poſſunt, dicuntur dirigi. Sexta ea rumpũtur, quæ in magnas partes diuiduntur: vt ligna. Septima ea frãgi poſſunt, quæ in quaſi partes & plures duabus diuiduntur: vt gelu. Octaua ea imprimi poſſunt, in quibus ſummæ partes pulſu, vel ictu, vel omnino tactu recedunt in partes interiores: vt cera. Nona quæ impreſſa manent, & facilè manu poſſunt imprimi, ea formari poſſunt: vt cera. Decima premi poſſunt ea, quæ compulſa inter ſeſe cohærere poſſunt ſummis partibus, quæ diuiſæ

uisæ non sunt, intrò tendentibus, cùm interea nulla pars alteri cedat: vt spongia. Vndecima trahi possunt ea, quorum extremæ partes in obliquum possunt commutari: vt lorum. Duodecima duci possunt ea, quorum extremitas eodem ictu simul & in latitudinem & in profundum ex parte commutari potest: vt æs. Decimatertia finduntur ea, quæ plus diuiduntur, quàm id quod diuidit, partiatur: vt ligna. Decimaquarta diuidi possunt omnia quæ nec diuisionem necessariò antecedentem habent, nec confringuntur, quum diuiduntur: vt ligna multa. Decimaquinta glutinosa sunt liquida & mollia, quum trahi possunt: vt pix. Decimasexta subigi ea possunt, quæ quum premuntur, stabilem habent compressionem: vt farina antequàm fermento subigatur. Decimaseptima ea comburi possunt,

possunt, quæ poros habent, qui ignē possunt recipere, & humorem imbecillorem igne in poris directis: vt ligna. Decimaoctaua exhalare ea possunt, quæ humorē illa quidem habēt, sed ita vt si ipsa per se igni admoueātur, vapor ex illis exprimi non possit: vt thus. Corporū quæ lignum imitantur exhalatio dicitur fumus: pinguis verò rei, fuligo, at eius quæ olei tenacitatem imitatur, nidor appellatur. Atque hæc de affectionibus corporum.

Affectionū motus differētiæ. II.

Naturalis, violētus: celer, tardus: æquabilis, inæquabilis: cōtinuus, interruptus: per se, fortuitus: integri, per partē: prior, posterior: vnus, diuersus: perpetuus, non perpetuus: contrarius, non contrarius: qui conferri potest, qui non potest conferri. Prima motus naturalis est qui fit à principio interno,

Capi. 8. quarti Phy. Cap. 2. tertij de Cælo.

terno, ita vt res quæ patitur, iuuet motũ: vt motus lapidis deorsum. Motus violentus et præter naturam, est qui fit à principio externo, cùm res quæ patitur nihil iuuat motum: vt si lapis in sublime proijciatur. Porrò omnis motus naturalis vni, est alienus à natura alterius: vt motus deorsum naturalis est terræ, igni verò cõuenit præter naturam. Secunda, celer est is, per quem minori tempore maius aliquid acquiritur aut amittitur. Tardus verò, cùm minus acquiritur aut amittitur: vt cursus cerui celerior est cursu testudinis. Tertia æquabilis est is cuius partes inter se congruũt. Congruere autẽ inter se dico æquali celeritate & tarditate: qualis est motus cœli. Inæquabilis est, qui habet tum incitationem, tum retardationem, tum constantiam. In motu celeriori est incitatio, in tardiori verò retardatio.

Cap. 6. secũ. de Cœlo.

Cap. 3. quarti Phy.

tio. Constantia, id est, celerrimus motus est in fine motus naturalis recti, in principio verò motus violenti: vt lapis celerrimè mouetur, cum primùm in sublime proijcitur. Quarta, continuus est, in quo nulla fit temporis interruptio, qualis est motus cœli: cõtrarius est interruptus: vt motus rectus, cùm reflectitur, interrumpi dicitur sumpto spatio. Quinta, motus per se: vt cùm ægrotus curatur à medico: fortuitò verò: vt cùm miles curauit Phæreum Iasonem aperta vomica eius, quam medici curare non poterant. Sexta, motus integri: vt quum totũ corpus afflictatum morbo curatur. Per partẽ: vt si homo curari dicatur, quia eius oculus curatur. Septima, motus prior, vt mutatio loci, quæ prior est cæteris generibus mutationum ordine naturæ & temporis, cùm possit sine reliquis ipsa per se cohærere.

Capi. 8. octaui Phy.

Cap. 5. quarti phy.

rere. Motus verò violentus posterior est or
dine naturæ motu naturali. Octaua, mo
tus vnus trifariam dicitur: genere, specie,
Cap. 1. septimi phy. & numero. Iidem genere: vt omnes com
mutationes, quæ qualitatis sunt. Iidem spe
Ca. 3. quinti phy. cie: vt omnes dealbationes. Vnus nume
ro motus est, cùm tempus non interrumpi
tur, & id quod mouetur est vnum per se,
atque etiam id in quo fit motus: vt deambu
latio Socratis. Differunt genere: vt cõmu
tatio, & loci mutatio. Differunt specie: vt
dealbatio, & denigratio. Differunt nu
mero: vt si duo homines curentur morbo lip
pitudinis. Nona, motus perpetuus est is,
cuius nullũ est principiũ, neq; finis: qualis
est motus cœli. Cõtrarius huic non est per
petuus: vt motus violentus: quia nullũ vio
Cap. 3. secundi de Cœlo. lentum est perpetuum. Decima, Motus cõ
trarij sunt, qui ab extremis aduersis ad
extrema

extrema aduersa proficiscuntur: vt dealbatio & denigratio: quarum illa ad can Cap. 7. octaui phy.
dorem, hæc ad nigrorem tendit. Motui cœ
li nullus motus aduersatur: motui autem
in vniuersum repugnat quies eiusdem ge
neris, non vt aduersa, sed tanquam priua
tio: vt status terræ. Vndecima, li motus Cap. 5. quinti Phy.
possunt inter se conferri, qui sunt eiusdem
speciei, & in rebus eiusdem speciei fiunt, Cap. 4. septimi Phy.
nec ambiguè dicuntur: vt duæ dealba
tiones, reliqui motus non possunt conferri.
Comparationis autem motuum hæc theo
remata afferuntur. Primum in mutationi
bus loci: si res vna mouet alteram per spa Cap. 5. septimi physi.
tium certum tempore certo, vt per duo mil
liaria spatio duarum horarũ, æqualis vir
tus, aut eadem mouebit æquali tempore di
midium rei quæ mouetur, per duplum spa
tium, id est, per quatuor milliaria aut dimi
dio tempore

Universidad de Deusto Biblioteca

dio tempore per idem ſpatium. Secundum, ſi eadem ſit ratio totius virtutis mouentis ad totum pondus, quæ eſt dimidiæ virtutis ad dimidium ponderis, æquali tempore per æquale ſpatium virtus tota pondus totum & dimidia virtus dimidium ponderis mouebunt. Tertium ſi virtus alicuius dimidia aliquo tempore per aliquod ſpatium moueat dimidium eius ponderis quod tota virtus mouet, neceſſe non eſt vt idem virtutis dimidium totum pondus moueat: nam iſto pacto vnus homo traheret nauim. Quartum, ſi duæ virtutes vtraque per tantum ſpatium tanto tempore pōdus aliquod mouet vires quoque coniunctæ id quod ex ponderibus coniunctum eſt, per æqualem longitudinem æquali tempore mouebunt. Quintū, de accretione: quæ res auget aliam certo tempore, duplo tempore duplam, & dimidio

dimidio tempore dimidiam augebit. Sextum, ſi virtus aliqua auget rem aliam non eſt neceſſe vt dimidia virtus augeat æquali tempore dimidiam. idem eſt iudicandum de virtute commutante comparata cum re quæ cōmutatur. Atq; hæc de affectionibus

INSTITVTIONVM PHYSICARVM PETRI IOannis Nunneſij liber quartus de principijs.

Principium.

EStid cuius vi aliquid fit: vt animus eſt principiū cuius vi res animatæ fiunt.

Principiorum formæ. 2.

Principia communia corporum motuū & affectionum, & propria.

Principia communia. 2.

Finis, & efficiens: quæ vocantur principia externa.

Cap. 3. ſecūdi phy.

Finis.

Universidad de Deusto Biblioteca

Finis.

Ibidem. *Est causa, cuius gratia aliquid fit: vt sanitas curationis.*

Finium formæ. 2.

Ibidem. *Vltimi & medij: vt finis vltimus curationis est sanitas. medius purgatio: quæ comparata cum antecedentibus actionibus est finis, cum sequentibus verò causa efficiens: qualia sunt omnia instrumenta.*

Efficiens causa.

Est causa à qua est primum principium motus: nam etsi finis videatur primum mouere, non tamen propriè, sed metaphoricòs mouere dicitur: materia verò non mouet, neque forma, nisi hoc ipso quod est causa efficiens.

Causæ efficientis modi. 2.

Ibidem. *Per se, & fortuitò. Per se facit ea causa, quæ eum finem sibi proposuerat, quem consequitur*

consequitur: vt ignis per se accendit. Huius duo sunt genera, quæ mouet & non mouetur, vt Deus Opt. Max. quæ mouet & mouetur, vt temperatio, quæ excitata à forma, efficit aliquid. Rursus quæ mouet & mouetur, aut non interit, vt sol. aut interit, vt causæ quæ sunt ex quatuor elementis concretæ. Cap. 7. secundi phys.

Causa fortuita.

Est causa quæ non habet propositum eum finem, quem consequitur: vt casus et fortuna. Porrò autem casus latius patet, quàm fortuna. nam casus est causa fortuita eius actionis quæ rarò accidit, quitam spectatur in rebus naturalibus, quã in ijs quæ hominum volũtate efficiuntur, vt tripus cùm non ceciderit causa sedendi, ita tamen stetit casu, vt sedeat. Fortuna verò est causa efficiens fortuitò, quæ Cap. 4. 5. Phy. 2.

 versatur

versatur in ijs tantùm rebus, quæ à nostra voluntate proficiscuntur, & aliò referuntur: vt Adrastus misso telo in ferã, occîdit filiũ Chræsi: iecisse telum effectũ quidem est voluntatis, occidisse verò filiũ Chræsi effectum est fortunæ.

Principia propria.

Corporum, motuum, & affectionum.

Principia corporum. 2.

Cap. 1. secundi phy. *Generalia, & specialia. Generalia nominantur principia interna & naturæ. Est autem natura principium & causa motus & status eius in quo est primò, per se, non aliena vi: vt forma ignis est causa primò & per se propter quam fertur ignis in sublime: quem motum, etsi leuitas iuuat, instrumentum tamen est formæ, non causa primò, & per se motus. per se addidi: nam cùm medicus curatur, fortuitò curatur,*

curatur, non per se.

Naturæ genera. 2.

Materia, & forma.

Materia prima.

Materia prima est, ex qua insita quæq; res per se primò, non fortuitò, efficitur, & in quam vltimò dissoluitur: vt in homine si separes cogitatione animum, figuram corporis, colorem, ac omnes, vno verbo, corporis affectiones, id quod vltimũ subest, in quo recessu vnius formæ succedit altera materia prima vocatur. Materiã autem primam voco, vt separem à materia secunda, quæ constat ex materia & forma, & proxima est cuiusque rei materia: vt corpus est materia secunda animalis. Cap. 9. Phy. 1.

Forma.

Est natura, per quam vnaquæque res naturalis Cap. 3. secũdi physi.

naturalis est hoc ipsum quod est, & à reliquis rebus separatur: vt animus est forma rerum animātarum, quæ sola ferè forma rerum naturalium nota est.

Principia specialia corporum. 2.

Cap. 3. primi de Cœ. *Corporum simplicium, & concretorum. Corporum simplicium duo, cœli & elemētorum. Cœli materia differt à materia elementorum & corporum concretorum, quia subiecta non est ortui & interitui, cùm cœlo nihil sit aduersum. Causam efficientem nullam habet, vt Aristoteles voluit, præter eam, quæ illud mutatione loci mouet. Finis cœlo propositus est, vt ab illo omnis vis reliquorū corporum regatur, quia est autor omniū mutationū, ac proinde multæ stellæ sunt in cœlo stellifero, vt præsit multis motibus.*

Cap. 1. primi Me. Cap. 12. secundi de Cœlo.

Elemen-

Elementorum principia.

Materia prima, est materia elementorum. Formæ sunt qualitates primæ, quæ etiā efficientes sunt. Finis corporum concretorū temperatio. quæ diuersa sunt, & inter se repugnātia propter salutem vniuersitatis: vt ignis incēderet vniuersa, nisi aqua & terra illius vim frigore coërcerent. Ita de cæteris elementis iudicādum. quatuor autem solùm sunt: quia ex primis qualitatibus quatuor tantùm copulationes constantes fiunt, quas primo libro in diffiniendis elementis explicauimus.

Cap. 1. & 2. de ort.

Cap. 3. secundi de Ortu.

Corporum concretorum principia.

Materia sunt quatuor elementa permixta. Est autem permixtio eorum, quæ inter se temperari possunt commutatorum vnio. Permisceri verò ea posse di-

Cap. 10. primi de Ortu.

 cuntur,

Universidad de Deusto Biblioteca

cuntur, quæ vicissim agunt & patiuntur, diuidua sunt, patibilemque habent naturam, si facilè terminari possint: vt corpora humida. Porrò id agit, quod similem qualitatem patibilem affert, quod autem accipit, patitur: vt in calefactione aquæ ignis agit, aqua patitur. Causa efficiens est forma corporis procreãtis, cùm omne quod mouet per formam agat, sed cùm forma ferè ignoretur, primas qualitates quæ instrumenta formarum sunt causas efficientes corporum facimus. Finis est forma rei genitæ, quia sunt eadem numero.

Cap. 7. primi de de Or.

Cap. 4. secundi Phy.

Corporum imperfectorum principia.

Materia, vapor, aut expiratio. Vapor, est exhalatio calida & humida: expiratio verò calida & sicca. Quod ita accipiẽdum est,

Capi. 2. primi Me.

dum est, non quòd vapor siccus nõ sit, aut expiratio non sit humida, sed appellantur ita ab ea qualitate quæ hæc superat. Vtraque autem exhalatio ex terra proficiscitur à sole excitata. Causa efficiens motus cœli, & vis ab illo manans siue sit calor siue frigus.

Cap. 2. primi Met.

Earum rerum quæ fiunt in sublimi regione aëris principia.

Materia expiratio, efficiens calor excitatus à sole, aut frigus aëris inferioris. à quo compressa expiratio iacitur non secus atque digitis nuclei: differunt tamen illa inter se multitudine aut situ materiæ: vt ex definitionibus primi libri constat. vt si expiratio non sit ita multa & vehemens, vt subito ob densitatem accẽdatur, neque tam imbecilla, vt citò extinguatur, sed hac robustior, illa verò permanen-

Cap. 4. primi Met.

Cap. 7. primi Met

Universidad de Deusto Biblioteca

tior, & vnà ascendat ex inferiori aëre expiratio apta ad accendendum, fit Cometa. eadem est causa orbis lactei, præterquàm quòd maior est copia materiæ, & densior, & semper durans: quia sunt multæ & magnæ, crebræ stellæ, quibus subiectus est orbis lacteus, quæ materiã incendunt.

Cap. 8. primi Met.

Rerum, quæ in media regione ab exhalatione humida fiunt causæ.

Cap. 9. 10. & 11 primi Met.

Materia vapor, efficiens frigus aëris ambientis: quamobrem sæpius pluit hyeme, quàm æstate, & noctu, quàm interdiu: quia hæc tempora sunt frigidissima. Ob eandemque causam nubes in suprema regione aëris non coguntur, quia non est frigida. Porrò frigus aëris vehementius hæc effecta parit, si à calore externo compri-

Cap. 12. primi Met.

comprimatur. ex quo efficitur, vt æstate guttæ maiores, quàm hyeme, & maiori impetu delabantur. Niues pariunt Meses & Septentrio, quia frigidissimi sunt. Grãdinem vero Septentrio, Thrascias & Corus: quia habent vim cogẽdi. Ros & pruina sereno tempore fiunt: nam aliôqui vento dissiparentur. Duæ autem causæ sunt propter quas non fiunt in sublimi aëre: vna, quia vapor ortus ex concauitatibus aquarum propter ingens pondus nõ potest efferri in sublime à calore: altera, quia in sublimi regione aëris concitatione dissiparentur. Ros excitatur flante vbique Austro, quia facit serenũ cœlum, præterquã in Ponto, vbi Aquilo frigore suo vndique obsistens calorem in vnum locum compellit, qui maiorem vim halituum excitat. Causæ multitudinis pluuiæ locus amplior

Cap. 6. secũ. Met.

Ibidem.

Universidad de Deusto Biblioteca

& tẽpus diuturnius. Contrariæ verò causæ sunt propter quas parũ materiæ est in rore. Grandinis causa efficiens est frigus compressum à calore externo. hinc hyeme non fit, rarius autẽ æstate, quàm vere aut autumno: quia calor æstatis coniunctus est cum ariditate, quæ impedit concretionem grandinis.

Cap. 12. primi Me.

Rerum quæ fiunt ab exhalatione sicca principia.

Cap. 8. secũ. Me.

Materia expiratio: efficiens sol & astra: & ex ventis fulgura pariunt Septentrio, Thrascias, Corus, & Meses maximè. Procellas cæteri præter Mesem. Typhon fit cùm procella oriens ex nube erumpere non potest: hoc facit è regione vertiginis impulsus, cùm in terram vertigo ipsa aliquid secum abreptum è nube deferens delabitur. nec potest perfici. quæ autem

Cap. 1. tertij Met.

Cap. 6. secũ. Me.

autem parte rectè funditur, ab ea vento impellit, rotatione ẽque versat, & in cœlũ excitat quancunq; rem impetu arripuerit. Ventus lenior est causa Presteris.

Corporum quæ fiunt in ima regione aëris causæ.

Fontis causa est aër in profundis speluncis sub ima terra inclusus, in aquam liquatus cõtinuo successu aëris: ex fontibus fluuij existũt: qui perẽnes sunt, si oriãtur ex locis excelsis, densis, & frigidis: non perennes ex contrarijs locis oriuntur, in quibus inest vel raritas tanquam spongiæ, vel saxorum asperitas, & argillæ copia. Causæ efficientes ventorum sunt sol & astra. materia expiratio à frigore medi.æ regionis aëris deorsum protrusæ. Venti imbrem sequuntur, quia perfusa terra humore concalefacta à sole expirationes redduntur

Cap. 14. prim. Me.

Cap. 4. secũ. Me. 6. & 7.

redduntur, quæ pariunt ventos: quibus sedatis, quia secernitur calor, nascitur imber propter vaporem congelatum. Quæ causa etiam est propter quam ex Septentrione & meridie potissimùm existant, & quòd plures Septentriones fiant propter copiã aquæ & niuiũ, quæ in regione Septẽtrionis existit. Nam pars meridiei quia subiecta est soli, minus abundat aquis. Sol reprimit ventos, aut quia suo calore obruit humorem, aut quia terrã prius exsiccat, quàm fiat concretio. Porrò tranquillitas ventorum fit aut à frigore, quod respirationem consumit, aut ab æstu, qui eam in languorẽ compellit: maxima verò tranquillitas fit vere & autumno, vel quia nõdum excitatæ exhalationes sunt, vt autumno, vel quia euanuerunt, vt vere. Etesiæ noctu intermittuntur, quia quæ concreta

Ibidem.

Cap. 5. secundi Met.

Ibidem.

concreta sunt, ob frigus noctis non liquescunt. Ab Austro autem non flant Etesiæ, quia cũ proximus soli sit caret aquis & pabulis, ex quibus liquatis oriuntur. Venti excitantur paulò ante Eclipsim lunæ, quia aër qui detinebatur remisso calore pellitur.

Corporum perfectorum quæ carent animo causæ.

Arida expiratio ardorem concipiens facit ea quæ fodiuntur, humida verò ea quæ eliciũtur. Hæc omnia efficit halitus humidus maximéque in lapidibus, qui præ siccitate in vnum cogitur more pruinæ cùm exprimitur.

Cap. 6. tertij Me.

Corporum perfectorũ animatorum causæ.

Materia proxima partes dissimiles, quæ instrumenta animi nominantur: vt oculus,

Capi. 7. secundi de Or.

Universidad de Deusto Biblioteca

oculus, auris. Partium verò dissimilium materia sunt partes sui similes. Animus trium causarum vim obtinet: forma siquidem est, quia per hanc sunt res animatæ: & efficiẽs nutritionis, accretionis, & reliquarum mutationum animatarum. Finis quia partes dissimiles instrumenta illius esse dicuntur. Est autem animus actus corporis organici quod potestate vitam habet. Organicum corpus voco, quod ex partibus dissimilibus constat, potentia vitam habens addidi, vt separarem à cadauere, quod etsi embryonis simile videatur, tamen non potest viuere.

Cap. 4. secundi de ani.

Cap. 1. secundi de ani.

Animi facultates.

Vis alendi, sentiendi, intelligendi, appetendi, & loco mouendi. Alendi facultas est vis qua res animatæ viuunt, cuius tres sunt partes: alens, augens, & procreans.

Cap. 3. secundi de ani.

Alens

Alens, est principium conseruans id corpus, in quo inest, quatenus talem vim habet. Augens, est facultas, quæ ducit id in quo inest ad iustam quantitatem sibi à natura institutam. Procreans, est facultas faciens simile in specie ei corpori, in quo inest ad imitationem æternitatis. augenti aduersatur minuens. Instrumentũ autem commune harum facultatum est calor naturalis, qui humore naturali pascitur, quod si calor & humor naturalis temperentur mediocriter, fit iuuentus, si verò alterutrum deficiat, senectus. hinc frigidi senes & aridi. hinc temperatione caloris & humoris naturalis diutissimè vita cõseruatur, et ijsdẽ corruptis mors sequitur.

Cap. 4. secundi de ani.

Lib. de Senectute & iuuentute.

De lon. & breuit.

Sensus.

Est facultas & principium commutationis, qua efficitur talis qualis est res quæ

Cap. 5. secundi de ani.

Universidad de Deusto Biblioteca

quæ illum mouet. Hic duplex est internus & externus. Externus est qui in corpore animato percipit species tantũ præsentes earum rerum, quæ illum mouent: huius quinque sunt formæ: aspectus, auditus, odoratus, gustatus, & tactus. Porrò ad actionem horum sensuum tria desiderantur: res subiecta sensui, medium, quo species ad sensum ducitur, & instrumentum in quo sedes est sensus. Tria autem genera sunt rerum subiectarum sensibus: vnum proprium, quod vnum tantùm sensum mouet, & in eo error versari non potest: vt color subiectus est aspectui: alterũ commune, quod multis sensibus percipitur. Huius quinque sunt genera: motus, status, figura, numerus, & magnitudo. Ex quibus magnitudo & figura aspectu solùm & tactu comprehendũtur, reliqua verò

Cap. 6. secũdi de ani.

verò quinque sensibus. Tertium quod mouet sensum fortuitò: vt si dicas te videre filium Diaris, quia accidit illi candidũ esse, candor autem cernitur. Mediũ & instrumentum cuiusque sensus quæ sint, ex diffinitionibus sequentibus intelligetur. Aspectus est sensus externus percipiẽs oculis colores & res alias lucidas, medio aëre. Alias res lucidas appello eas, quæ in nocte lucere visuntur: vt fungi, squãmæ, & capita piscium. Instrumentum aspectus est neruus opticus cum humore crystallino. Auditus est sensus exteruus auribus percipiens sonos medio aëre vel aqua. Instrumentum est auris foris patula, intus verò tortuosa & flexuosa, ne facile sonus elabatur, cum aëre tamen insito coniuncta. Odoratus est sensus externus percipiẽs odores naribus medio aëre

Cap. 7. secundi de ani.

Cap. 8. eiusdem lib.

Cap. 9. eiusdem lib.

vel aqua. Instrumentum huius sunt duæ papillæ in cõiunctione nasi & frontis tectæ existentes. Gustatus est sensus externus percipiens sapores per linguam medio humore. Tactus est sensus externus collocatus in neruis sparsis toto corpore, media cute & carne ad percipiendas qualitates sibi subiectas. Atque hi sunt sensus externi.

Cap. 11. secundi de ani.

Sensus interni. 2.

Sensus communis, & phantasia. Sensus communis, est facultas, quæ dijudicat subitò res subiectas diuersis sensibus externis: vt in melle dulcedinem, à colore separat. Quam ob rem communis omniũ sensuum externorum constituitur, quemadmodum centrum cõmune est omnium radiorum, qui ab illo in orbem ducuntur. Huius affectiones sunt somnus & vigilia. Somnus

Cap. 1. tertij de ani.

Lib. de somnio & uigil.

lia. Somnus, est cessatio sensuũ facta tum calore cordis refrigerato ab esculentis & poculentis rebus, tum halitu ab humore, qui est in thorace caput petente & occupante. Vigilia est reuersio caloris naturalis ad partes corporis externas consumtis vaporibus. Phantasia est sensus internus qui retinet visa, quæ ex motu sensuũ externorum in animo relinquũtur. Visa autem appello, phantasmata, idola, spectra. Hæc facultas coniungit visa diuersa, & distinguit: vt componit Tragelaphos & Hippocentauros: vt somnia. Est autem somnium nõ omne phantasma, sed illud tantum, quo in somnis decipimur, & quod nos verè cernere existimamus. Efficitur verò propter vaporem & redundantem copiam humorum, qui sentiendi principia mouent. Porrò phantasia vocatur simpliciter

Cap. 3. tertij de anim.

Lib. de somnio.

Lib. de memoria.

ſimpliciter phantaſma cõtempletur, quòd ſi animum ad eam rem aduertat, cuius eſt phantaſma ſimilitudo, memoria nominatur: vt ſi videam ſimilitudinẽ eſſe eius leonis, quem Romæ viderã: quòd ſi partim viſum conſeruetur, partim deleatur, recordatio exiſtit: vt ſi quis oblitus primi carminis Aeneidos ex memoria primæ dictionis totius carminis recordetur.

Intelligentia.

Cap. 4. tertij de ani.

Eſt facultas qua res ſubiectas intelligentiæ percipimus. quæ vocatur intelligentia patibilis. Nam intelligentia agens iudicio Ariſto. non eſt facultas, ſed ſubſtantia, quæ tanquam ſempiterna ab ea quæ ſubecta eſt interitui ſeparatur. Huius intelligentiæ agẽtis duo ſunt officia: vnum, vt phantaſmata illuſtret ſeparando ſimplicem naturam à circumſtantijs: alterũ, vt perficiat

vt perficiat intelligentiam patibilem. quæ tunc perficitur, cùm intelligit. Intelligentia patibilis eſt contemplans, aut agens. Contemplans eſt cui propoſita eſt veritas aut mendacium. Intelligentia verò agens eſt, quæ bonum opus intelligit et ſequitur. Rurſus intelligentia aut ſimplex eſt, aut coniuncta. Simplex eſt quæ percipit rem indiuiduam & ſimplicem, qualis eſt eſſentia cuiuſque rei. Coniũcta eſt, quæ percipit affirmationẽ aut negationem. Deinde intelligentia alia eſt in qua nullum eſt iudicium recti & non recti: vt mens ſimplex. Alia in qua eſt iudiciũ recti & non recti, quæ vocatur cogitatio, aut exiſtimatio. cuius tres ſunt ſpecies: ſcientia, prudentia, & opinio. quæ verius tres habitus aut tria opera dicentur. Scientia eſt habitus, quo cognoſcimus concluſionem

Cap. 7. & 10. tertij de ani.

Cap. 6. tertij de ani.

Cap. 3. tertij de ani. 6. Ethi.

Universidad de Deusto Biblioteca

per principia. Prudẽtia est habitus gerendi res humanas cũ recta ratione. Opinio est facultas, qua assentimur alicui rei cũ ratione probabili.

Appetitus

Cap. 7. tertij de ani. Est facultas, qua inclinat animus ad eam rem, quam, vel sensus vel intelligentia approbat, vt bonam expetendam, aut tanquam malum fugiendam: vt singula animalia expetunt quod iucundum est, & quod noxium est declinant. Appetitus tres sunt species: cupiditas, ira, & voluntas. Cupiditas est appetio iucundi Ira appetio eius quod molestum est: vtraque appetio est sine ratione. Voluntas est appetio eorum quæ rationis iudicio approbata sunt. Cupiditatis formæ sunt fames & sitis. Fames est cupiditas calidæ rei & siccæ: sitis verò humidæ rei & siccæ.

Capi. 3. secundi de ani.

Facultas

Facultas loco mouendi.

Est quæ procreatur cogitatione ab ea re quæ expeti aut declinari nata est excitata. Tria autem principia sunt huius mutationis in animalibus: phantasia, vt in animalibus imperfectis. intelligentia: vt in hominibus. appetitus: vt in omnibus animalibus. Huius autẽ facultatis quatuor sunt species: facultas volandi in auibus, natandi in piscibus, repẽdi in serpentibus, in cæteris gradiendi. Atque hæc de causis corporum.

Cap. 10. tertij de ani.

Motus causæ,

Res quæ mouet, & duo extrema. Extremum vnum ad quod tendit motus vt in calefactione calor, alterum à quo proficiscitur: qualis est priuatio, quæ est absentia formæ in re quæ nata est formam suscipere. Est autem principium non per

Cap. 12 quinti phy.

Cap. 7. & 8. primi phys.

Universidad de Deusto Biblioteca

se, sed fortuitum: nec rei, sed mutationis: vt in cadauere bouis est priuatio formæ apum, quæ non est principium ortus illarum per se, cùm apes nõ procreet, sed fortuitum, quia creantur apes ex cadauere bouis, cui accidit forma apum priuatum esse. His tribus principijs additur subiectum motus quod est res, quæ mouetur et tempus in quo fit motus. Ita in omni motu quinque spectantur, res quæ mouet, et res quæ mouetur, extremum à quo proficiscitur motus, & extremum ad quod tendit, & tempus.

Cap. 1. quinti phy.

Ortus & interitus causæ.

Accessus solis est causa efficiens ortus, recessus verò interitus: & quatuor qualitates. Hinc ortus elementorum existit: vt vnum elementum oritur ex altero, aut ex duobus. Vnum quidem ex altero facilius fit,

Cap. 10. secundi de Or.

Capi. 4. secundi de Ortu.

lius fit, quod habet qualitatem cõmunem: vt ex aëre facilius creatur ignis, quàm ex aqua, quæ nullam habet qualitatem communem. Ex duobus elemẽtis fit vnũ elementum: vt ex igne & aqua, aër: vt cùm ex aqua calefacta vapor exhalat. Interitus ignis bifariam fit, aut à contrarijs qualitatibus, aut cùm ipse ignis tabescit inopia elementi & humoris. Hinc ortus naturalis fit cùm calor & frigus reliquas qualitates vincunt: at verò cùm vincuntur fit interitus: qualis est caries quæ fit, cùm calor naturalis & humor ab alieno calore & externo corrumpitur. Quamobrem res minus putrescunt frigido loco aut tempore, neque id quod congla ciatũ est putrescit, quia maior est vis frigoris, quàm ambientis caloris, neque res quæ agitatur, quia minus potest corripi

In lib. de Iuuen. Cap. 1. quarti Met.

ab aëre ambiente, neque id in quo magna est copia alicuius rei, quia maior est vis caloris naturalis. ex quo fit vt mare in partes diuisum facilius putrescat. Porrò res naturales concretæ constant quatuor elementis, ex terra quidem, quod maximè faciat quanque rem diutissimè esse in suo loco, ex aqua ne defluat terra, ex reliquis verò quia sunt contraria.

Cap. 8. secundi de Or.

Accretionis & decretionis causæ.

Anima primò efficiens est accretionis: calor naturalis & ignis instrumenta. Materia alimentum quātum, cuius accretione res crescit. Crescunt autem res partim alimento simili, partim dissimili: vt res arida alimento humido, quod fit aridum. Concoctio est causa accretionis, inconcoctio verò decretionis.

Cap. 4. secūdi de ani.

Commu-

Commutationum principia.

Concoctionis principium efficiens est calor naturalis, adiuuans calor externus: qualis est balneorum. Finis est forma vltima. aut certè forma quædam quæ perfectam concoctionem esse declarat: vt lacrymæ concoctæ sunt, cùm sordes sunt obortæ. à calore naturali fiunt res quæ cōcoquuntur maiores, crassiores, & aridiores. Res quæ maturescit humida est, sed non sine siccitate. nam aqua sola ex liquidis non densatur, quia parum est in ea caloris, vel multum humoris, qui coërcetur. Itaque rerum crudarum exiguus est succus, idemque frigidus magis, quàm calidus, nec ad vescendum, nec ad bibendum aptus, qui fines ferè sunt rerum, quæ elicantur aut coquuntur. Reliquæ commutationes, quas habeant causas, ex diffinitionibus

Cap. 2. quarti Met.

Cap. 3. quarti Met.

tionibus illarum satis intelligitur.

Mutationũ loci principia.

Cap. 4. octaui Phy. *Mutationis loci quæ à se fit quatuor sunt principia efficiẽtia: duo externa res quæ procreat, et id quod remouet impedimentum: vt si lapis in sublimi aliquo loco detineatur, sublato impedimẽto, deorsum fertur. Interna etiam duo, forma: vt animus, & qualitas, quæ instrumentum est formæ: vt grauitas, quæ causa est propter quam pondera deorsum feruntur. Mutationis quæ ab alio fit causæ efficiẽtes sunt vis impellens, aut trahens: vt in terræmotu ventus qui excitatur ab exhalationibus, quas pariunt sol, ignis, & calor quæ sub terra latet: vt fulmina, quæ feruntur deorsum contra naturam exhalationis calidæ & siccæ, quia in superiori parte densior est nubium concretio, quemadmodum nuclei*

Cap. 8. secũdi Met.

dum nuclei compressi in sublime ferũtur: vt pars aquæ marinæ quæ tenuis est in sublime trahitur à calore cœlesti. Atq; hæc de causis motuum. Cap. 5. secũ. Me.

Affectionum principia.

Cap. 7. tert. Phy. *Infiniti temporis, causa est infinitus motus: infiniti motus, infinita magnitudo: infinitæ autem magnitudinis, causa est, quia semper diuidi potest per partes inæquales, sed quæ habeant aliquam proportionem. Sic continui temporis, causa est continuus motus: continui motus, continua magnitudo. Quoniam autem tempus continuum est, ideo longum & breue dicitur, quemadmodum quia numerus est, multũ & paucum nominatur. Finis loci est, vt res in illo conseruentur, neque sit inane, quod natura abhorret. Temporis causa est motus.* Cap. 11. quarti physi. Cap. 12. quar. phy. Cap. 7. quar. phi.

Affectionum

Affectionum corporis cõmuniũ causæ.

Cap. 7. secundi de ani. *Luminis materia est aër, causa efficiens est corpus suapte natura lucidũ, quod sua præsentia lumen excitat: vt sol, & ignis.* Cap. 3. & 4. secundi de Cœlo. *Cœli figura rotunda facta est, quia nulla est aptior ad eius motũ, qui & perpetuus, & celerrimus est, eundemque locum semper obtinet. Quoniam autem primum cœlum globosum est, & reliqui atq; aër lunæ proximus globosi sunt. nõ habet autem cœlum figuram ex rectis lineis cõstantem, ne spatium inane ex motu illius relinqueretur. Rotundæ etiam sunt stellæ* Cap. 11. secundi de Cœ. *& globosæ, ex quo fit vt luna varias facies mutet, cùm aliquando vtraq; ex parte curua appareat, & aliquando in duas partes secta. Aqua rotunda est, quia con-* Cap. 4. secũdi de Cœlo. *fluit semper ad concauitates ampliores: terra*

terra verò, quia quæque pars illius pondus habet vsque ad medium, minorque à maiori pulsa comprimitur, nec potest fluitare: ob eandem causam terra stat. Cap. 14. secundi de Cœlo. Cap. 5. tert. Phy.

Qualitatum quæ tactu percipiuntur causæ.

Caloris causa est accessio solis ad nos, cùm omne lumen calidum sit ac præsertim solis. Motus etiam cœli causa est, quo atteritur aër qui pulsus accẽditur vt tela quæ iaciuntur in sublime & ignis est causa caloris. contrariæ sunt frigoris causæ. Primæ qualitates sunt causæ efficientes secundarum: vt humor est causa rei mollis, tenuis, lubricæ, læuis, vdæ, & humidæ propriè: ariditas verò contrariorum est causa. Grauitatis causa est frigus, leuitatis calor. Cap. 7. secundi de Cœlo. Cap. 2. secundi de Ortu.

Qualitatum

Universidad de Deusto Biblioteca

Qualitatum quæ aspectu percipiuntur causæ

Cap. 7. secundi de ani. & de sensu.

Coloris principia sunt lumen & perspicuitas. nam vt corpus possit colorari, facit perspicuitas: quæ proficiscitur à tribus elementis perlucidis, terra verò quia tenebricosa est & opaca, facit vt certus color appareat, & permaneat. Lumen facit, vt colores videantur. Causa candoris est copia luminis, quæ inest in corpore candido: vt in niue, quia constat aëre & aqua, quæ perlucida sunt: contraria est causa nigroris. Mixti colores nascuntur ex permixtione corporum.

Cap. 3. de sens.

Saporum causæ.

Cap. 4. de sen.

Materia terræ & aquæ permixtio. nã etsi neutrum elementum per se habet saporem, aqua tamen cùm per terram colatur, saporem facit creatum à calore. Hinc

Hinc qualis est terra per quã aqua percolatur, talem habet saporem: vt quæ per terram salsam meat, fit salsa. Dulcis sapor fit à calore moderato nostræ naturæ consentaneo: nutrimur enim dulci sapore. Amarus fit ab immoderato calore. ex tẽperatione autem horum fiunt reliqui sapores: Salsus sapor fit ex admixtione terræ adustæ & humoris: vt salsus sapor maris: vt reliquiæ alimenti crudæ & incoctæ.

Cap. 3. secundi Met.

Odorum causæ.

Odoris causa humor sapidus siccitati permixtus in aëre vel aqua, calore efficiente: vt pisces in aqua odorantur. Hinc elementa carẽt odore, nisi permixta sint, quia carent sapore. Aurum quoque sapore priuatum est propter eandem causam. Odores per se iucundi maximè conueniũt

Cap. 5. de sensu.

Universidad de Deusto Biblioteca

homini, vt suo calore temperet frigus cerebri, quod pro ratione corporis maximũ omnium animalium homini contigit. Ex varia autem permixtione humoris sapidi & siccitatis fiunt varia genera odoriũ.

Sonorum causæ.

Capi. 8. secundi de anim. Soni efficiens est conflictus duorũ corporum, ita vt corpora sint dura, læuia, & concaua: vt aër pulsus remaneat, nec dissipetur. At quia sonus fragilis est, oportet læuem esse rem, quæ percutitur, vt vnus sit motus & cõtinuatus. Echo fit ab aëre, qui vnus manet per vas quod extremis partibus dissipari sonum prohibet, rursusque aër tanquam pila repellitur. Porrò aër qui est insitus à natura in auribus pellitur pulsu externi aëris. Quamobrem per eam tantùm partem audit animal. Respiratio aëris est causa vocis. hinc fit vt animalia

vt animalia quæ non respirant, non edant voces: qualia sunt insecta: vt formicæ, & pisces, qui carẽt gutture, quia nõ respirãt.

Affectionum corporum imperfectorum causæ.

Colores varij fiunt in aëre cõcreto propter exiguum lumen, quod per partem paulò densiorem translucet, & propter aëra, qui reflectitur: ac præsertim phœniceus, & purpureus. quia hi potissimùm ex ignei albíque temperatione existunt. Hiatus verò & fossæ abrupto lumine ex ceruleo nigróque colore faciunt, vt altitudinem habere videantur. Phasmatũ, quæ in media regione fiunt, communis causa est relatio aspectus, sed diuersa ratione. nam Corona fit cùm radius à caligine, quæ circa solem aut lunam cogitur, refertur. Quoniam autem omni ex parte

Cap. 5. prim. Me.

Cap. 2. tertij Met.

æqualiter fertur fit orbis, aut certè eius pars sæpius tamẽ coronæ circa lunã fiũt, quàm circa solẽ: quia sol cõcretiones aëris citò dissipat. Iris fit ex relatione nubis cũ aër qui inclusus est iam in guttas cogitur, sed nondum pluit, si sol aduersus sit, vel aliud astrum ita clarum, vt nubes speculum fiat, coloremque referat, in qua cùm videatur constans magnitudinis cõsequentia, necessariò eiusdem coloris cernitur. Phœniceus color fit in Iride, quia splendidum in re nigra talem colorem exprimit: qui primus color est, finitimus huic viridis: imbecillior purpureus. In secundo arcu contrarius est situs colorum propter reflexionẽ. Tres arcus nũquàm ferè fiũt, quia secunda reflexio est obscura, tertia valde tenuis, nec ad solẽ perueniret. Breuissimis autẽ diebus qui sequuntur æquinoctium

Cap. 4. & 5. tertij Met.

noctium autumnale existere possunt Irides, quia pars quæ ad Septentrionem pertinet, superat magnitudine dimidiam circuli formam, longissimis verò post alterũ æquinoctium diebus non oriuntur: quia pars æquinoctialis quæ meridiẽ spectat, parua est. Duo soles fiunt, cùm aspectus alicuius ad solem reflectitur, si aër sit maximè æquabilis, crassus, & æqualiter densus. Virgæ fiunt, quia aspectus, cùm nubes soli proximæ sunt ab aliquo humore refertur in nubem, quæ non est æquale speculum. Parelij & Virgæ non admodũ propè à sole existunt, quia ea dissiparet, nec procul omnino, quia non referretur, nec supra solẽ, quia si proxima illi essent ea dissiparet, nec infra, quia si sol propè à terra sit, dissoluet etiam, nec à latere si sol medium cœlum obtineat, quia cùm aspectus

Cap. 6. tertij Me.

ctus secundum terram non feratur, relatus aspectus admodum infirmus redditur, sed à latere quia tam procul abesse possunt, vt nec solis calore dissipentur, & totus radius perueniat, quia cùm secundũ terram fertur, non dissipatur.

Affectionum corporum perfectorum causæ.

Cap. 8. quarti Met. Coguntur res à calore qui humorem exsiccat, & à frigore quod calorem extrahit: sed res aqueæ caloris, terreæ verò humoris inopia coguntur. Ex contrarijs causis liquantur. Quæ imprimi non possunt, dura sunt, vt lateres, et humida, vt aqua.

Cap. 9. quarti Met. Premuntur ea quæ poros habent cognati corporis, premiq; possunt quæ colligi possunt in ea inania, quæ in se habent, vel in eos poros, qui in ipsis insunt. Interdũ enim inanes non sunt meatus, in quos se colligunt: vt in spõgia madefacta, sed quorum ma-

meatus pleni sunt corpore molliore, quàm id quod in ea confluere solet, ea premi possunt. non omne autem molle neque durum fissile est, sed id quod nec liquidum est, nec imprimi, neq; frangi potest: cuius generis ea sunt quæ habent poros, quibus partes inter se copulantur, in longitudinẽ, non in latitudinem. Glutinosa fiunt, quæ commutatione quadam catenarũ instar componuntur: præsertim cùm multum dilatari & contrahi possunt. Exhalatio fit à calore qui vim vrendi habet, cõmunisq; est humoris & siccitatis. Vinum dulce exhalat, quia pingue est, nec frigore cõgelatur igneque consumitur. Comburuntur, quæ coguntur à calore, aut à frigore & calore. ex his quæ comburuntur, ea inflammari possunt, quæ humorẽ non habent, habent tamen vim exhalationis, sed ea potissimùm quæ fumũ emit- Ibidem.

tunt. Ligna quia habent humorem toto corpore fusum & congestum, cùm liquoris vim non habeant, inflammantur. Æs verò, quia non habet perpetuum humorem, aut minorem quàm flammam efficiat, etsi habet liquorem, non mittit flammam. Thus vtriusque naturæ & effectus est particeps. ex ijs quæ exhalant, ea flāmam mittunt, quæ liquari non possunt: quia ad terram propius accedunt: habent enim siccitatem cum igne communem.

Affectionum motus causæ.

Natura est causa motus naturalis, externum verò principium motus violenti. aër horum motuum, si ad locum fiant, est instrumentum. celeritatis & tarditatis motuū cœli, causa est varia interuallorū ratio. At quia extima conuersio celerrima est, reliquorum tardiores consentaneum

Cap. 2. tertij de Cœlo.

Cap. 10. secundi de Cœlo.

neum est, vt orbes proximi primæ conuersioni longissimo tempore naturalem cursum conficiant: vt Saturnus spacio triginta annorum, qui remoti verò breuissimo: vt sol spacio vniusanni. Celeriores loci motus causa duplex est, aut quia id per quod mouetur dissimile est, vt per aquam & aëra, aut quòd res quæ mouetur, si cætera sint paria, dissimili leuitate aut pōdere fertur. Tardioris motus loci causa est id per quod mouetur: quia impedit primò, si in contrariam partem moueatur: deinde, si quiescat, sed hoc magis facit, quòd non potest facilè dissipari. qualis est terra. Motus violentus ideo habet incitationem in principio, quia mouetur per vim à mouente impressam, quæ initio robustior, in fine verò languescit. Motus verò naturalis tardus est in principio causa medij spacij

Cap. 8. quarti Phy.

Cap. 6. secundi de Cœlo.

Universidad de Deusto Biblioteca

quod transiturus est. At in fine quia parum spacij super est, robustior fit. Reliquarum differentiarum causæ ex suis diffinitionibus, aut ex reliqua disputatione facilè colliguntur.

INDEX VOCABVlorum vulgò incognitorum quibus ijs libris vsus est autor, quibus ex altera parte respondent vocabula vulgò vsurpata.

A

Accipere,	pati.
Acidus,	acetosus.
Accretio,	augmentatio.
Aliena vi,	per accidens.
Affectio,	passio.
Quæ aspectu percipiũtur,	visibilia.
Quæ auditu percipiũtur,	audibilia.
Auersa	

Aduersa,	contraria.
Animus,	anima.
Appetendi vis,	appetitiua potẽtia.
Augens,	augmentatiua.
Admixtio,	mixtio.

C

Candor,	albedo.
Concreta,	mixta.
Cœlum stelliferum,	firmamentum.
Commutatio,	alteratio.
Concoctio,	digestio.
Concretio,	coagulatio.
Cohærere,	existere.
Coniuncta quantitas,	concreta.
Consequens,	futurum.
Crassum,	grossum.
Concretum,	coagulatum.
Color rutilus,	flauus.
Corpus quod cogi potest,	concretile.
quod non potest,	inconcretile.
quod comburi potest,	combustibile.
Constantia,	status.
Cupiditas,	potentia cõcupiscibilis.
Conuersio extrema,	motus primi mobilis.

Conuersio

Universidad de Deusto Biblioteca

Conuersio,	motus circularis.

D

Decretio,	imminutio.
quod diuidi potest,	sectile.
quod duci potest,	ductile.

E

Expiratio,	exhalatio.
Extremitas,	superficies.
quod exhalare potest,	vaporosum.
Extrema,	termini.

F

Quod frangi potest,	friabile.
Fulgor,	corruscatio.
Flexibile,	flexile.
quod formari potest,	formatile.
quod findi potest,	fissile.

G

Gustatus,	gustus.
Glutinosum,	tenax.

H

Quod humore perfundi potest,	humectabile.

I

Interitus,	corruptio.
Inconcoctio,	indigestio.

Inane

Inane,	vacuum.
Instans,	præsens.
quod imprimi potest,	impressile.
Inæquabilis motus,	diformis, irregularis
Incitatio,	intentio.
Intelligendi vis,	intellectiua potẽtia.
Instrumẽtũ in quo sedet sensus,	sensoriũ.
Res subiecta intelligentiæ,	obiectum intellectus.
Intelligentia contẽplans,	intellectus contẽplatiuus.
Intelligẽtia agẽs,	intellectus practicus.
Ira,	potentia irascibilis.

L

Liquatio,	liquefactio.
Lubricum,	viscosum.
quod liquari potest,	eliquabile.
quod non potest,	ineliquabile.

M

Mutatio loci,	latio.
Mutatio concreta,	mutatio cõposita
Mutatio quæ in orbem incitatur,	motus circularis.
quod mollescere potest	mollificabile.
quod non potest,	inmollificabile.

Motus

Universidad de Deusto Biblioteca

Motus æquabilis, vniformis, regularis.

N

Nebula, caligo.
Nigror, nigredo.

O

Ortus, generatio.
quæ odoratu percipiuntur, olfactilia.
Odoratus, olfactus.

P

Partes, gradus.
Partes ſui ſimiles, ſimilares.
Partes diſsimiles, diſſimilares.
Pulſus, pulſio.
Pinguis, vnctuoſus.
quod premi poteſt, preſſatile.
Principia externa, extrinſeca.
Principia interna, intrinſeca.
Permixtio, mixtio.
Perfuſum, madefactum.
Procreans vis, generatiua potẽtia.

Q

Qualitates quæ pcipiũtur tactu. tãgibiles
Quantitas deiuncta. diſcreta.

R

Reipſa. actu.

Refrige

Refrigeratio, frigefactio.
quod rumpi poteſt, fractile.
quod non poteſt, infractile.
Retardatio, remiſſio.
Radij, lineæ rectæ.
Relatio, reflexus.
Referri, reflecti.

S

Spirabilis, aërius.
Superius & cõſequẽs, prius & poſterius.
quod ſubigi poteſt, denſatile.
Sentiendi vis, ſenſitiua potentia.
Senſui res ſubiecta, obiectum ſenſus.

T

Temperatio, temperamentum.
Tractus, tractio.
Tenue, ſubtile.
Quod tra hi poteſt, tractile.

V

Vectatio, vectio.
Volutatio, vertigo.
Vis faciendi, actiua potentia.
Vis accipiendi, paſſiua potentia.
Vdum, madens.
Vis alendi, anima vegetatiua:

Quædam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quædam vocabula Græca Latinè exposita, quibus vsi sumus in hoc libello, aut alij vtuntur in his rebus explicãdis.

ἄκαπνα,	quæ non edunt fumum.
διαφανή,	perspicua, perlucida.
ἀνομοιομερῆς,	partes dissimilares.
ἕψησις,	elixatio.
ἑτερογενῆς,	dissimiles partes.
ἅλω,	corona.
καταχρηστικῶς,	per abusum.
μεταλλευτά,	quæ eliciuntur ex terra.
μόλυνσις,	elixatio non plena.
ὀμότης,	crudiras.
ὁμογενῆς, aut ὁμοιομερῆς,	partes sui similes.
πλανῆτες,	stellæ errantes.
πόλοι,	vertices.
πέπανσις,	maturiras.
πράσινος,	porraceus.
σάθευσις,	non plena assatio.
φάσμα,	visum.
φοινίκεος,	color purpureus.
φυσιολογία,	philosophia naturalis.
χυτά,	quæ fodiuntur.
ὤπτησις,	assatio.

Τέλος.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ebatur z
ne digni
rtinenti
ne: z eus
g. qnod
Vltimo
enter qꝫ
ge qñ
dic. aĉa
ciũ de
l. z an
etitur
d.l.si
etitio
vt.d.
ar.ibi:
iure
m gl.
ã cãs
upete
petere
detur
a ipsi
rte qꝫ
suam z
acquir.
pbar.
ano non
de parti.
em facta
n. no. qꝫ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca